

4.









3000.  
1661, 13  
29.  
15  
4.  
D. D. B. V.  
DISPUTATIO  
POLITICO - HISTORICA

# DE AULICO,

*Quam*  
PRESIDE

M. SEVERO CHRISTOPHO-  
RO OLPIO, POESEOS OR-  
DINARIO, ET MORALIUM EXTRA-  
ORDINARIO PROFESSORE  
PUBLICO,

*publicè ventilandam proponit*

JONAS ALBERTUS à MEUS-  
BACH, EQVES VARISCUS,

d. Novembr.

Horis locoque consuetis.

---

JENÆ,

Typis Johannis Jacobi Bauköfferi,

ANNO M. DC. LXI.

95



DE AULLICO  
CHRISTOPHO  
ORATORIO  
EXTRA  
JONAS  
M. SEVERO  
POLITICO HISTORICO  
DISPUTATIO  
M. SEVERO  
ORATORIO  
EXTRA  
JONAS  
M. SEVERO  
POLITICO HISTORICO  
DISPUTATIO

20







COROLLARIA.

I.

**R**EFERT scribit Moralinus in de vita civili libro secundo c. 3. *Aulicus absolute perfectus & inculpatus non datur; delineari vero potest tam ratione virtutum, quam ratione actionum, ita ut ne optari possit melior, qualis postea idea erit omnium.*

II. *Paleottus à callido Aulico requirit, ut simulando & dissimulando omnibus aulis pro varietate temporum possit se accommodare, apotelesm. 4. pron. 2.*

III. *Et Princeps & Aulicus possunt ex politicis fundamentis in communi considerari, prout abstrahuntur ab existentia huius vel illius subjecti: item ostendi potest, quomodo se habere vel non habere debeant, quamvis actu pauci vel tertè vix dentur.*

IV. *Perusius ad Aulicum abstractè consideratum sufficere putat, si talia predicata ipsi tribuantur, qua omnibus Aulis conformia sunt, in Politici instructione cap. 2. unde Melattus in idea Aulici tria ponit predicata: dextram caliditatem, exactam Principis & familiarium ministrorum cognitionem atq; prudentiam: consule etiam Desider. Crescent. de art. amb. dignit. & hon. sed his accenseri debent & alia pro diversitate aularum.*

V. *Fortissimus & augustissimus Imperator Carolus V. Austriaeus potissimum hæc tria requirebat: Probitatem, Benevolentiam & Prudentiam: Probitatem ideo, ut bonum sequatur, malum fugiat; Benevolentiam, ut qua utilia sunt Principi & Principatui, ea curet, suadeatque. Prudentiam requirebat, ut qua bene Principi ac Principatui vellet, sciret exequi. Puccart. in Observat. historic. Polit. Dec. 4. cap. 2.*

VI. *Non est approbanda sententia Crotusii scribentis: Aulicum debere*



- debere esse Leonem & Vulpem, Leonem, ad metum Principi incutiendum. Vulpem, ad evitandas aliorum insidias; quamvis posterius non sit prorsus improbandum, utrumque tamen melius ad Principem accommodatur.
- VII. Modus ille insitatus, quo Dimocrates [Vitruv. l. 2. de Architect. Ammian. Marcell. l. 22. cum Solino Dinocratem vocant; Plutarchus verò in vita Alexand. Stasiratem, Strabo & Arrian. Chinocratem.] Architectus Macedo sese Alexandro insinuavit, non quidem probatur, at tamen hoc ipso innuitur, ut pateat, neminem ex remotioribus absque autoritate potentioris, aut facinore insigniori, quod oculis animosque trahat, ad notitiam Principis pervenire posse. vid. Adam Preyler. l. 2. instit. viri aulici.
- VIII. Quod si Princeps Tyrannus suavis Philosophi ad virtutem praeclare animatus sit, vel semibonus, & non malus, sed semimalus Lib. 5. Polit. cap. 11. quidni talis quoque aulicus esse debeat; ab optimo enim periculum sibi, à pessimo Principis florere potest, Piccart. in h. l. Arist.
- IX. Sicut ea, quae iniusta & inhonesta sunt, possunt interdum ad imperiorum conservationem facere; ita etiam aularum conservationi inserviunt.
- X. Commodus & Heliogabalus Imperii dignitatibus praefecerunt homines flagitiis ipsis simillimos; ille quidem Perrennem, Cleandrum, Nigrum, Julianum, & Regillum; hic verò Eutichianum, Hieroclem & Aurelium Zoricum, remotis & sublati aliis prudentissimis viris. Herodianus lib. 5. Aelius Lampid. Xiphil. Dio Nicæus, & ex illis Cluv. in Epit. Histor. Joh. Lat. Comp. Histor. univers. VVagn. alii.
- XI. Sapientissimorum aulicorum consilia non tam salutaria, quam periculosa esse possunt.

FINIS.



CAPUT I.

*Finis aulicorum varius. Via illi, quicumque sit, potiundi gratia Principis. Ad hanc opus, ut innotescat Principi. Quidam splendore familiaria noti: alii proprio labore.*

I.

**O**Mnes homines, qui rectè & ordine actiones suas instituere cupiunt, principio finem, propter quem suscipiendæ actiones sint, considerare oportet.

II. Illi, qui feruntur ad aulas, non eundem sibi præfigunt finem. Alios eò spes commodi ducit, alios honorum studium.

III. Quidam cupiditate aliis imperandi; quidam, etiam helluandi, nocendi, facescendive negotium aliis desiderio illuc trahuntur. Paucissimis utilitas ac salus Principis proposita est.

IV. Cæterum ut finis varius; ita via potiundi eo, quem quisque sibi fixit, una est, Aulicis omnibus communis, Gratia Principis. In hæc igitur consequendâ cunctorum laborat solertia, atque omnis desudat labos.

V. Ad id, ut gratiâ Principis fruaris, opus est, ut & cognitus sis illi, & moribus, actionibus aut quacunque alia ratione laudabili placeas.

VI. Sed sunt, quibus familiaria splendor, authoritas, ratione officii [seu amplum illud, seu humiliter, seu hæreditate,

A

tate,



2  
tate, seu pecuniâ obrinuerint, iudicium ad Principem munivere. Hi notitiæ principis arrependi labore exempti sunt, viamque ferè dimidiam confectam habent.

VII. Quibus illa negata sunt, gravius inter prima principia laborant. Sed, ubi semel innotuerint principi, ita ut hic idoneos ipsos servitiis suis iudicet, evchuntur sæpè supra alios: eò quod, de humili loco, saltem paupere fortuna, sublevati, subjectiores additioresque sunt voluntati principis, quem, ut unicum autorem suæ dignitatis colunt demissius.

VIII. Disparatio est magnatum qui nati tales. His dignitas vel muneris, vel familiæ, necessitatem imponit tuendi honoris proprii, præferendique nonnunquam principis sententiæ suam. Qui & alioquin sæpè ad promovendos istos difficilior est, æmulatione quâdam metu, ne autoritas ipsorum adversus authorem insolenscat, quos nec reprimere sine suo ipsiusque principatûs posset discrimine. Contrâ, oppressio ejus, qui ex humili adscenderit, magis in proclivi est: solum, si illi tergum obvertat princeps, aut arbitrio magnatum, plarumque tales agris oculis adspicientium, permittat, perit. Quos de principibus cordatis, & qui potentiam eorum, quos amant evchuntque, limitibus certis circumscribere sciunt; non conferentes ad unum omne imperii robur, vel istos etiam proceres ei subjicientes. Quod factum nonnullis principum pessimè tandem expetit.

## CAPUT II.

*Viarum, ad Principum gratiam aucupandam, duas: varia via Principi innotescendi.*

I.

Clarum, quibus aulici ad gratiam Principum, auctoritate



4.

— 0 — 0 — 0 —

ritatemque grassantur, duæ sunt, præ cæteris tritæ ac frequentes. Una est, munera ac dignitates publicas ambientium, decursoque per gradus hoc honorum spatio, ad eum adspirantium, qui proximè à principali abest. Altera est eorum, qui aulam jugiter sequuntur, quærentes secretioribus principis negotiis innecti, & ad procuraciones extraordinarias adhiberi.

II. Quarum postrema procul dubio brevissima est, & signata vestigiis illorum, qui in flagrantissimâ apud Principes gratiâ vixere. Qualis apud Augustum Mecenas: apudque eundem hunc, & mox successorem ejusdem Tiberium, Sallustius. De quibus *Tacitus Annal. 3. Sallustius quanquam prompto ad capeffendos honores aditu, Mecenatem emulatus, sine dignitate senatoriâ multos triumphalium consulariumque potentia antecit; diversus à veterum instituto, per cultum & mundicias, copiaque affluentia luxui propior: suberat tamen vigor animi ingentibus negotiis par, eò acrior, quo somnum & inertiam magis ostentabat.*

IV. Huic similis fuit Mella; de quo idem *Tacitus Annal. 12. Mella, quibus Gallio & Seneca, parentibus natus, petitione honorum abstinerat per ambitionem preposteram, ut eques Romanus consularibus potentia equaretur: simul acquirenda pecunia brevius iter credebat per procuraciones, administrandis Principis negotiis.*

V. Innotescendi Principi, eidemque se probandi, variae itidem viae sunt; pro diversitate nimirum & ipsorum aulae candidatorum, & temporum. Sunt, qui ipsi se notos reddunt actione aliquâ, insigniter vel utili, vel gloriosa, aut virtute probitateque non vulgari. Aliis commendatio aliena aditum ad Principem aperit: fermeque hæc ratio cæteris usitatio est.

A 2

VI. Prin-



4

VI. Principes tam eminenti supra ceteros loco agunt, tantoq; etiam numero magnatum vel aulicorum emeritorum circumsepti sunt, ægrè ut novitius per tam densum obstantium agmen eluctari possit; nisi sit, qui ipsum manu ducat, & structo aditu velut admoveat; vel ipse actione aliquâ inusitatâ oculos in se omnium, atq; adeò Principis, convertat.

VII. Memorabile factum architecti cujusdam est, quem alii Dimocratem, alii Stasicratem appellant. Is nosci ab Alexandro Magno cupiens, quum omnes purpurati adducere eum ad Regem abnuissent, consilium capit, ultro se ipsum offerendi Regi; nudum planè, oleoq; inunctum; caput coronâ populcâ, humerum dextrum pelle leoninâ cinctum; dextrâ verò manu cæstum tenentem. Nec mora; venit ille ad hunc modum ornatus in conspectum Alexandri, in tribunalium sedentis. Rei novitas traxit mox omnium oculos, ipsumq; Alexandrum movit, ut adduci hominem juberet. Et, quanquam non approbavit quæ ille proponeret, ipsum tamen in censum familiæ aulicæ referri jussit.

VIII. Exemplum hoc adduximus, non svadendi animo, quisquam ut simili nugamento insinuare se amicitia principum quærat: sed, ut ostendam, eos, qui sepositi sunt, nisi ab aliquo, qui autoritate floreat, adjuventur, non esse idoneos findere tantam hominum, quæ Principem circumdat, turbam, nisi vel facinore, ut diximus, insigni, vel casu aliquo minus usitato, meruerit, quod Poëta ait:

— — *Digito monstrari, & dicier, Hic est.*

CAP. III.



4.

5

•••••

## CAPUT III.

*Mores, conditiones, inclinationes, propensiones  
Principis, & familiarium eius, ab aula can-  
didato internoscenda.*

### I.

**A**ulæ igitur candidato, qui & nosci à Principe & diligere cupit, considerandi sunt mores conditionesq; tum Principis, tum familiarium eius, quibus plurimum confidit: nec minus magnatum, adeoq; omnium, qui ipsi vel opem ferre, vel contrà æmulatione, metu, invidia, odio, studio, sui vel suorum stimulati, nocere possunt. Principis imprimis, necesse est, ut inclinationes perspectas habeat, & consuetudines, quæ plerumque, temperaturam corporis sequuntur. Hæc verò, etsi à cautis Principibus tegatur, vix tamen est, ut non erumpat denique, & abjecta veluti persona, vultum ostendat suum: quum omnes eorum actiones ita cunctorum oculis sint expositæ, ut fieri non possit, quoniam ab aliquibus saltè advertatur, quò tendant. Nonnunquam & gravitate negotiorum tam acriter stimulantur, ut simulationum obliti, prodant ingenium. Tiberius ipse, quamquam callidissimus simulandi artifex, tamè bene scenam coactæ frontis ferre non potuit, quin omnes ejus artis dies paulatim in lucem produceret.

II. Sed cum aliorum hominum, tum Principum imprimis propensiones variæ & propè infinitæ sunt. Possunt tamen ad duo genera referri: quorum alterum eas complectatur, quæ magnitudinem eorum spectant; alterum, quæ voluptates.

III. Magnitudo consistit vel in famâ atque auctoritate, vel in opibus, vel in obsequio subditorum, vel denique



que robore ac fide exercituum. In his prout se res habuerint Principis, ita accommodare operam oportet. Quod scitè qui fecerit, dum modò alias ob causas non suspectus aut exosus sit, haud dubiè acceptissimus Principi fuerit.


IV. Idem judica de voluptatibus affectibusque Principis vitiosis. Si is diffidenti timidoque ingenio sit, gratum ei futurum puta delatorem audaci ingenio, quique nec invidiam potentium moretur, & promptus sit exequendis quibusvis Principis mandatis. Qualem Tacitus Sejanum describit. *Corpus illi, inquit, libro Annal. 4. laborum tolerans; animus audax, sui obregens, in alios criminator: juxta adulatio & superbia: palam compositus pudor: intus summa apiscendi libido.*

V. Si ebrietate gaudet Princeps, delectabitur eidem vitio addictis. Quam ob causam Tiberius Pomponium, & Lucium Pisonem dilexit. *Suetonius, de quo cap. 24. in Tiberio: Postea Princeps, in ipsa publicorum morum corruptione, cum pomponio placco & Pisonem notem continuumque biduum epulando potandoque consumpsit; quorum alteri Syriam provinciam, alteri praefecturam urbis, confestim detulit, codicillis quoque jucundissimos, & omnium horarum amicos professus.*

VI. Idem, eodem Suetonio referente ignotissimum quaesturae candidatum nobilissimis anteposuit, ob potam in convivio, propinante ipso, vini amphoram.

VII. Neroni libidinum societas Tegellinum innoxuit. *Validior Tigellinus, inquit Tacitus, annal. 14. in animo Principis ex intimis libidinibus assumptus. Ita Petronius, arbiter elegantiae [ejusdem sunt historici Annal. 16. verba] inter paucos familiarium Neroni assumptus;*





plus; dum nihil amœnum ac molle affluentia putat, nisi quod Petronius ei approbavisset. Ad idem exemplum Commodus & Heliogabalus cunctis Imperii dignitatibus præficiebant homines licentiâ libidinum ipsius quàm simillimos.

IX. Mutianus, non tam fidelis obsequii aut rerum gestarum ergo, amatus fuit Vespasiano, quàm qui explendæ istius avaritiæ præ cæteris idoneus foret.

XI. Isaacio Angelo qui post mortem Theodori imperium tenuit, eadem avaritia puerum quendam, gerarii rationibus præfectum, quanquam rudem penè scribendi, percarum reddidit, ob spem tantum participandi de muneribus, quæ ille subinde asquebatur largissima ab his, qui operâ ejus uterentur.

X. Manuël Comnenus, imperator itidem, asperum aliquem exactorem, callidumque eliciendis tributis artificem, nummos prodigalitati ipsius largiter suffecturum, dispiciens, Joannem Pucium, legit; hominem rudem, morosum, difficilem aditu, intolerabili asperitate; verbo,

*Procuratorem vultu qui præferat ipso.*

Nec satis; eo illum authoritatis evehit, ut non tantum omnes aliorum dignitates supergrederetur, sed & edicta Principis, ordinationesque senatûs, abrogaret; recidens ararii augendi prætextu munera imperii vel maximè necessaria; qualis erat triremium custodia, præcipuum imperii robur ac munimentum.

CAP. IV.





8

◊◊◊◊◊◊◊◊

## CAPUT IV.

*Principis affectibus, an & quomodo obsecundandum?  
Aula item, ac publicæ functiones, quomodo, &  
cur à probis capeffantur?*

I.

VERUM eos, qui Principi grati esse cupiant, obsecundare debere affectibus ejus, res est non notissima solum, sed & usu aulicorum quotidiano nimis quàm comprobata.

II. Mirabitur hoc vir probus, cogitabitque intercludi sibi aditum ad aulam regula ejusmodi, quâ sequi omnes inclinationes Principis jubeatur; cum devixæ sæpè numero illæ fiat à rationis honestatisque orbitâ.


III. Equidem, cum, qui vitam agere volet penitus innocentem, remoramque à consuetudine hominum malis artibus genioque suo addictorum, rectius sibi consulturum existimem, si se abstineat ab aula, grandi [ ut ita loqui fas sit, ] meretrice, & qui nonnunquam integerrimos, & illibatissimos virorum corrumpit.

IV. Talis corruptionis unum & alterum exemplum videamus. Festinus Maximini familiaris, Valentiniano Imperante, Asiam mirifica lenitatis modestiæque famâ rexerat; acris reprehensor violentiæ crudeliumque factorum Maximini, & calumniarum, quibus iste in rem suam plurimos circumveniebat.

V. Sed, animadvertens, istis modis socium suum, pratoris cohortibus præfectum; quæ dignitas uni Imperatoriæ secunda erat: mutavit & ipse vitæ rationem, & Maximinum imitatus, crudeliter injusteque multa agebat.

VI. Joannes Pucius, (cujus & paulò antè facta est mentio.)





mentio) negotia pecuniasque Imperatoris Manu-  
 magna aliquamdiu integritate administravit. Quo effe-  
 cit, ut æquioribus animis fastus Imperatoris & inhumana  
 agenda ratio toleraretur. Sed tandem, animo (ut Ni-  
 cetas testatur) ad opum studium applicito, aliis mune-  
 rum ejusmodi administratoribus avaritiã nihil cessit, &  
 ad idem faciendum, amicis quoque suis author fuit. Ex  
 quibus cum plerique, exemplo corrupti, secuti sunt. Alii,  
 quanquam meliores, neque corrupti ipsi, corrumpi ta-  
 men ceteros passi sunt, metu exitii, quod immineret,  
 opponere illi sese ausuris.

VII. Aristides, re & nomine justus, ab Atheniensibus  
 arario publico præfectus, primùm, ingenio suo virique  
 probi officio satisfactorius, curæ habebat, impedire,  
 ne ceteri, quibus præerat, ararium depecularentur. illi-  
 co isti peculatus illum agere reum, & qui unquam fue-  
 rint, furum rapacissimum clamare: parumque aberat,  
 quin condemnaretur. Tandem tamen absolutus, cum  
 prorogatum ei munus esset, consilium cepit, imitari  
 ceteros qui præcesserant, & ad furta collegarum con-  
 venire. Ita mox viri boni nomen judicio omnium asse-  
 cutus est.

VIII. Adhuc talia plerisque Principum aulis usu ve-  
 niunt, seu malitia illorum, qui sunt istic autoritatis præ-  
 cipuæ & viros se meliores ægrè tolerant, seu impruden-  
 tiã & stupiditate principum ipsorum.

IX. Est igitur difficilis in aulã custodia probitatis. At-  
 tamen, si quis, necessitate fortunæ suæ, vel splendore ge-  
 neris, vel muneris dignitate, vel patriæ aut amicis servi-  
 endi desiderio impulsus, aut etiã à Principe vocatus, hoc  
 vitæ genus subicit; persistere in eodem, quantumvis bo-  
 nus

B nus





nus sit, meo iudicio, potest, saltem tolerare vitam ibi aliquamdiu, & pro re natâ, non sibi tantum, sed & aliis inservire.

X. Loquor de aulis Principum asperimorum. Nam, vivere in aula Principis sapientis, & qui viros honestos amet, longè minus difficultatis habet.

XI. Olim viri probi functiones publicas non semper, studio res patriæ utiles gerendi suscipiebant, sed interdum etiam, ut malis ad easdem interciperent aditum. Eadem causæ sunt, cur illi ad tyrannos, principesve voluptatibus quærere sibi debeant accessum: nempe, ut, si minus fronte aperta obliquè saltem, certè quantum in ipsis sit, mala perniciosaque Principis consilia impediant, sive remoras, difficultatesque aliquas iisdem objiciendo, sive alia mitiora plausibiliaque subjiciendo.

XII. Burrhus & Seneca, pro ratione temporum uliorum, habiti non tantum viri, sed & aulici optimi, cum retores Neronianæ juventutis dari, animadvertent ingenium Principis hujus lubricum ac in libidines proclive: ne in supra foeminarum illustrium erumperet, libertæ amorem illi concesserunt, quo aliquamdiu furorem suum restinxit, assumpto in tegumentum libidinis familiari Seneca Anaxo Sereno, qui, *amorem in eandem libertam simulans, partem largiebatur*, (verba Taciti, lib. 13. annal. c. 13.) *muliercula, qua Princeps furtim tribuebat*. Ita vir bonus luxum, licentiam consiliaque perversa principis impedire nequiens, diverter saltem illa flectetque eò, unde minus periculi & publico & famæ Principis emeritum sit.

CAP.



—•••••  
CAP. V.

*Proborum virorum in tyrannorum ac dissolutorum aulis  
rarity & conditio. Malorum seges, &  
ars probandi sese Prin-  
cipibus.*

I.

Forſan dicet quis, evenire per raro, ut Tyrannus vel Princeps dissolutus hominem probum adjungat sibi. Nec ego diffiteor, rarum id esse, sed idem tamen assero, paucas esse domos Principum, in quibus non aliquis, saltem reperiatur probus, si minus vocatu Principis, saltem desiderio bonis commodandi, malorumque potentiam infringendi, eò pellectus; suamque stationem illic, auxilio meliorum, aut benevolentia amicitiaque alicujus Magnatis, tuens: servato in primis salubri illo Lepidi, quem Tacitus Annal. 4, boni & sapientis aulici exemplum proponit, temperamento, qui nec abruptâ contumaciâ irritaverat Principem, nec deformi obsequio in omnes ejus libidines confenserat.

II. Idem Tacitus Labeonem & Capitonem eo nomine commendat. *illa etas, inquit duo pacis decora simul tulit, Sed Labeo incorruptâ libertate, & ob id famâ celebratior; Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur. Annal. 3. c. 75.*

III. Non inficior, pluribus viro probo, quam alii, constitutam difficultatibus vitam aulicam. Sed laborem tunc major quoque gloria, major animi voluptas, solabitur. Quinimò, si sapienter agat, seque accommodet iis, quæ videt mutari non posse: ausim dicere, pessimo etiam Principi carum tandem fore, cariorem certè aliis sequo-





ris notæ, qui rarò debitâ fide Principis negotia tractant; vix tanta certè, quin majorem sibi quisque à bono viro jure promittat.

IV. Arque eò spectat Salustii & Mecz-natis consilium; quo ille Julio Cæsari, hic Augusto, bonorum virorum delectum amicitiamq; commendat; quod illos existimationis cura & conscientia religio à rebus in honestis validius, quàm alios poenæ metus, aut virium imbecillitas, cohibeat.

V. Cæterum, ut diximus, uberior semper in aulis est malorum seges. Qui duabus maximè rebus sese Principibus probant. Primùm adulando, &, quicquid imperare lubitum fuerit hero, explendo; idque tanto servilius, quanto spes major commodi allucet. Deinde, quod placent sibi Principes, quum habent, quorum comparatione, quamvis mali sint, boni videri possunt. Sunt etiam, qui securiorem sibi inter sui similes vitam fore arbitrantur.

VI. Dionysius tyrannus, rogatus, ut aulâ suâ pelleret quendam, qui ob scelera odia omnium incurrerat, retinendum sibi illum respondit, ne unus ipse aulæ suæ exosissimus foret.

VII. Habent hoc ii, qui vitis aliquibus sese obnoxiosos sentiunt, ut speciem sibi probitatis circumdare ament comparatione deteriorum; vetusque regnantium artificium est, imparem deligere successorem, ut ipsorum facta tanto meliora atque illustriora appareant. Nec Augusti, dum Tiberium adscisceret sibi, cujus arrogantiam favitiamque perspexerat, nec Tiberii, quum Caligula traderet imperium, aliam fuisse mentem, auctor Tacitus est.

VIII.



—•••••

VIII. Inprimis autem in sermone sobrius ut sit vir probus, necesse est. Nam incautam quantumvis optimorum hominum libertatem rarò amant Principes. Nec Platoni illa, in Dionysium Syracusanum usurpata bene cessit. Propter eam nauæ cuidam traditus, & in Cretâ Insulâ vendi iussus est. Unde, à Philosophis quibusdam redemptus, monebatur, aut abstinere à Principum convictu penitus, aut ad eorum placitum loqui

IX. Simili consilio Aristoteles Calisthenem, cognatum suum, Alexandrum comitari parantem, instruxit: nempe, ut & rarissimè, & non nisi placitura, loqueretur ei, qui vitæ potestatem in acie linguæ portaret.

### CAPUT. VI.

*Adulari apud quos, quando nam, & quomodo oporteat.  
Adulationis veræ & liberæ conditio. Assentandi vel adulandi necessitas.*

I.

**A**Liter hæc sacra non constant: oportet interdum adulari tali ingenio Principes, ut illos devincias tibi. Sed non quovis modo adulandum. Nam nimium sordida & servilis adulatio displicuit etiam Tiberio. Quem curiâ egredientem, in hunc modum loqui solitum Græcis verbis. *O homines ad servitutem paratos*, memoriae proditum ait Annal. III. c. 65. Tacitus.

II. Est ergò, quem usurpata, æquè ac omiſſa adulatio nocet. Fit enim sæpenumero, ut is, quem aperte adulamur, dolum suspectet. Opus est, adulatio ut quid habeat ex vero, & specie incrustata sit libertatis [judicium est Æschini & Plutarchi] quò ex animo nos loqui,

non





non solum Principi, sed aliis etiam, persuadeamus, ad eoque fama nostrae consulamus.

III. Croesus inter regnandum, ingenia regum, & quid iis placeat displiceatve, optimè perdidicerat. Quum aliquando Cambyfes, Persarum Rex ex adstantibus quaesivisset, quid de ipso judicarent, comparato cum patre Cyro: omnes illum Cyro majorem asserunt; ut qui patrio regno Aegyptum, cum Imperio maris, adjecisset. Quum ad Croesum deventum esset, inferiorem longè Cyro judicabat illum, eo quòd nullum usque sibi similem genuisset. Hoc responsum aliquid libertatis sapere visum est, eòque Cambyfis vanitati plus cæteris satis fecit.

IV. Notabilis est illa Valerii Messalæ apud Tacitum adulatio: Addebat, inquit, Annal. 1. c. 8. *Messala Valerius, renovandum per annos sacramentum in nomen Tiberii. Interrogatusque à Tiberio, num se mandante eam sententiam prompsisset; sponte dixisse, respondit; neque in iis, quæ ad rem publicam pertinerent consilio, nisi suo, usurum, vel cum periculo offensionis. Ea sola species adulandi supererat.*

V. Huic simile est, quod idem de Atejo Capitone refert [Annal. 3. c. 70.] *Lucium Ennium, equitem Romanum majestatis postulatam, quod effigiem principis promiscuum ad usum argenti vertisset, recipi Caesar inter reos vetuit; palam aspernante Atejo Capitone, quasi per libertatem. Non enim debere eripi patribus vim statuendi: neque tantum maleficium impune habendum. Sanè lentus in suo dolore esset; Reipublica injurias ne largiretur.*

VI. Promptum foret, alia hoc genus exempla proferre: sed sufficiunt allata, ad instruendum eos, quibus assentandi necessitas imposita est. Ut caveant, ne adula-



○○○○○○○○

15

adulatio ipsi detrimento aliquo vel publico vel privato constat, sufficit, ut vanitati quandoque principis faciat satis.

## CAPUT VII.

*Consilia Principis, quo pacto tractanda aulico?*

### I.

Cavebit quoque aulicus, ne se principis elati ac pertinacis consiliis, quantumvis vocatus, misceat. Nam ejusmodi principes eo ferme animo consilium petunt, quo Xerxes, Græciæ bellum illaturus. Convocaverat Asiæ Principes, velut super eo belli negotio deliberaturus. *Ne inconsultis vobis propria ex libidine tantum agere videar, ad consilium, inquit, vos, Proceres, vocavi. Mementote tamen, potius hic animum obediendi nobis, quam deliberandi curam, à vobis requiri.* Cambyses, antecessor Xerxis, sororis matrimonium expetens, quærebat ex consiliariis, num quæ lex Persarum tale matrimonium vetaret. Illi, animadverso, non quærere hoc Regem, ut dubitandi sollicitudine se exolveret, sed quo voluntates introspiceret Procerum; responderunt, nullam quidem legem hoc, quod cuperet Rex, sancire; esse tamen aliquam, quæ, quod luberet Regibus, licitum assereret. Ita ex ingenio & principis & negotii ipsius, judicium faciendum est, an consilium petenti credendum obtemperandum ve sit.

II. Habes regia exempla. Dabo aliud viri, qui minime regis nomen, vicem tamen, in Hispania seculo superiori gessit. Defuncto Ferdinando, Carolum Austriacum, tum apud Flandros agentem, Pontifex Romanus, Cæsarque Maximilianus, suscipere hortabatur titulum Regis Hispaniæ, quantumvis superstiti matre Joana,



na, Ferdinando genitâ, per inualetudinem rerum gubernaculis impare. Vocantur ad comitia proceres regni. Coram iis Cardinalis Ximenes consilii rationes excusandæ novitati facunde disserit. Proceres, consuetudinis antiquæ, & Regiæ observantiores, quàm fas erat adversus Regem, paulò pòst successurum, refragantur factis obstinatè. Ximenes sede suâ profiliens iratusque, monstrat, rem, quæ agatur, minimè vocandam in dubium esse, nec ipsorum consilio indigere: Regibus, ad inueundum regnum, non expectandum subditorum consensum: qui convocati sint, convocatos esse non necessitate, sed ut occasionem haberent, suffragiorum promittunt gratiæ principis litandi; cæterum, quia officio imputare, quod gratia apponendum erat, videntur; non expectatâ eorum approbatione, Regem se Cæsarum promulgaturum Madriti, quod exemplum cæteræ urbes sequebantur.

III. Istâ agendi ratione non in talibus tantum negotiis, sed in quibusvis ferè utuntur Principes. Vix quenquam alio sine consulunt, quàm ut destinata sua suffragiis pluribus approbentur; aut ad introspectendam ejus, qui consulitur, voluntatem; ut subiinde Tiberio, teste Tacito, factitatum.

V. Dubiâ Principis voluntate, excutere se propositum negotium finget; expositisque in utramque partem argumentis liberam Principi electionem relinquet. Si consilium, quod agit, nondum intimè sedit animo, auditis in contrarium rationibus, si sapit, mentem mutabit.

VI. Neque tunc pudor ille (pudendum sane, familiare tamen Magnatibus malum, inferiores videri erubescunt



besunt iis, quorum consilium (sequuntur) in transver-  
sum ager principem, cum ipsius prudentia concludendi  
libertatem remittes, sicque simul periculum effugies,  
quod consuleribus imminet saepe, quum consilium,  
Principi datum, sequius cadit.

VII. Si, prima sua destinata secutus Princeps even-  
tui non litaverit, agnoscet, suspicietque tanto magis  
prudentiam aulici, qui futurum malum, dum evitabile  
adhuc esset, praeviderit.

VIII. Si de re illegitima sententiam dicere urgea-  
ris omnino, dispicere oportet morae pretextum ali-  
quem; aut orare, tertius ut a<sup>1</sup> cetur, diligentioris exa-  
minis causa, quo, re maturius perusitata, appareat, quid ex  
dignitate saluteque Principis sit.

IX. Priori modo Burrhus primum Neronis de ma-  
tre necanda impetum inhibuit; *promittens ipse necem  
illius, si facinoris coargueretur: sed currente cuicumque, ne-  
dum parenti, defensionem tribuendam.* Dum objecta no-  
scentur, ira interim Neronis residit, metus leniuntur, &  
facinoris cogitatio, quanquam non ejecta animo peni-  
tus, in aliud tamen tempus rejecta est.

X. At hic modus nec saepe, nec in omnibus negotiis  
locum habet: sed in ambiguis atque ancipitibus inpr-  
mis. Insuper, priusquam eo utaris, videre oportet, qua-  
le sit ingenium Principis, & an cunctationem ferat.  
Sunt enim quidam lentitudinis morarumque tam impa-  
tientes, ut, qui iis uti velit, apud tales certis-  
simam offensam incurrat.

C CAPUT



## CAPUT IIX:

*Subita Principum consulta quæi averruncanda,  
vel moderanda?*

I.

**C**UM hujusmodi ergò Principibus cui negotium est, eum expeditum esse & validum in subitis oportet.

II. Quum, quod sæpè sit, non consilium, sed modum exequendi destinata, poscitur, si hæc pugnare cum ratione ac honestate videbuntur, modi executionis proponendi sunt, quàm fieri potest, remotissimi; iisque vel facilitatis, vel æquitatis vel securitatis species circumdanda, ostendendo juxtà, quæ subita sint, discriminum difficultatumque plena esse.

III. Nisi præceps nimium, impatiensq; fuerit Princeps, non dubitem, quin, quod facillimum tutissimumq; judicaverit, secuturus sit. Quod si etiam impatientia ejus audire lenta consilia noluerit, svaforem tamen hæc prudentiæ quasi anxietas quædam, vel affectus erga Principem, excusaverit, qui tarda maluerit cum securitate, quàm præmatura cum domini exitio.

IV. Si verò in præcipiti illo modo, quem Princeps præfractè elegerit, difficultates aliquæ occurrerint, multo magis jam prudentiam contraria svadentis suspiciet. Sin idem lentiora proponentem audierit, temporis interstitium interim multa suppedirabit, quæ cupiditatem Principis refrænent: ipseque, vel fieri non posse, quod destinavit, vel non sine absurditate posse, animadverteret.

V. Sed sæpè id, quod Principes sibi proponunt, iracomparatum est, ut primò statim adortu difficillimum, aut planè ineluctabile agnoscat. Ad hujusmodi qui-

deta



dem suscipienda minimè Princeps exhortandus, sed tamen nec nimis anxie retinendus est. Potius venerabili silentio admittendum, ut animo suo ille obsequatur, ne te difficilem disvadente, faciliorem is quærat viam explendæ cupiditati, quæ aliàs effuso inter obstacula, impetu, ultro in vanum abiisset.

VI. Sed accidit interdum, ut Princeps viro bono executionem sceleris alicujus demandet. Qua in re neminem equidem puto tam subducta ratione ad vitam fore, quin aqua ei hæsuræ sit: inprimis si res nata, ratioque negotii, ademerit locum recusandi, vel alium subdendi ministerio. Qui posterior modus à Burrho usurpatus. Nerone denuò inter matricidii consilia laborante, hoc majore jam sollicitudine, quod instructi naufragii periculum non alius secutus esset effectus, quam ut mulier semper alioquin impotens & vindictæ avidissima acrior post tantam injuriam esset.

VII. Burrhus enim, & Seneca ad consilium acciti, diu hæserunt ambigui trepidique. *Longum, inquit Tacitus, Annal. 14. c. 7. utriusque silentium; ne irriti discederent. Post Seneca, hæc tunc promptior, respicere Burrhum, ac si sciscitaretur, an militi imperanda cedes esset? Burrhus prætorianus, tot à Cesarum domui obstrictos & memores Germanicis, nihil adversus progeniem ejus atrox ausuros, respondit: pertraret Anicetus promissa.* Ita iste ab infandi facinoris ministerio se & milites suos expedivit.

VIII. Fateor, non bene mereri te de illo, quem ejusmodi commissionibus implicas. Sed re tamen ita nata, conducibilius puto, ut Aniceto similis aliquis executionis hujusmodi labe quàm vir honestus adspargatur.

IX. Tutissimum est præcipere cogitando cupiditates





Principis, & ante quàm erumpant aut radices agant, a-  
verruncare. Non pauci, blandis admonitionibus verbis-  
que (ut Paryfatis appellabat) byssinis inesse vim magnam  
in ejusmodi negotio experti sunt. Sed eos, qui hoc re-  
medio uti cupiunt, magnà esse autoritate oportet apud  
Principem, & hunc ipsum non affectibus magis quàm  
rationi (quod rarum) audientem. Denique in una atque  
altera re forsan rectè hoc successerit, non item in omni-  
bus.

X. Placet etiam illorum ratio mihi, qui, ingenio ad  
facetias apti, & eo nomine apud Principem gratiosi, huic  
pericula & turpitudinem consilii, in quod ferri Princeps  
videatur, ceu aliud agendo, apposita narratiuncula re-  
præsentant.

XI. Verùm ad hanc rem, ut indicavimus, dexteritas  
quædam ingenii & dicendi lepos requiritur. Præterea  
cavendum, ne Principi subolcat, se mimi esse argumen-  
tum. Quemadmodum Tiberius fratricidia sibi tragœdiâ  
à Scauro composita, cui nomen Atreus; Domitianus il-  
lâ, quam Helvidius de Paride & Cenone conscripserat,  
divortia sua, exprobrata credidè. Ad hæc necesse est,  
ut hæc narratio rebus aliis, in Principem minus qua-  
drantibus, concinnè interferatur: & id, quod ad rem  
facit præcipuè, non inculcari quidem debet operosè, ne  
tamen aures præterlabatur, repetitione quasi fortuita i-  
terari potest. Lepos narratiunculae altius imprimet ea,  
quæ dicentur, & quia non studio quæsitâ, sed ex re nata  
videbuntur, fastidiosas Principis aures non offendant.

XII. Moderationis hujus, qua nec operam naves li-  
bidinibus Principis, nec frustra iis oblueteris, aliæ quo-  
que viæ sunt, petendæ ex re nata, & temporum articulis.



21  
ocasionibusq; quas negotiorum aut personarum Principes sectantium interventus parere varias potest.

XIV. Quod si pugnare in aliquem Principis affectum res omnino jubet, tum explorare oportet alium affectum æquè in illo validum atque ita luctam aliquam & certamen in animo Principis efficere. Inprimis etiam cum curâ ostendendum est, quidquid dicamus, à veneratione & obsequio proficisci, quod ipsi debeamus. Ad eum modum in officio Domitianum continet Mutianus, impeditque, ne Cereali sese, quod, nescio quas spes fovens, moliebatur, adjungeret. De quo Tacitus sub finem lib. IV. Histor. videatur.

## CAPUT IX.

*Principum quadruplex temperatura ex natura origine;  
& quomodo cum singulis conversandum; Aulicorum  
ars in adfiscendis sociis.*

### I.

AD hæc feliciùs ex æquanda, nosse Principis inclinationes, quæ ex naturali corporis temperatione dependent, magnopere conducit. Quas illi quidem communes ferè cum aliis habent: nisi quòd, quemadmodum alibi potentiores, ita impotentiores sunt in affectibus inclinationibusq; moderandis: quæ & ipsæ in iis, quàm in aliis, plerumque sunt violentiores, ac rationis minùs audientes.

II. In quo bilis flava prævalet, in agendo promptus, superbus iræ, properus erit: humilium obsequiorum amans; graviter infensus vel minimum refractarius: impatientis in exequendo, præceptis in consiliis: alieni iudicii, si ab ipso discordet, contemtor: injuriis inferendis ferrox;



ferox; sed idem placabilis in læsos, si non ad animum re-  
vocent injurias: offensæ memores odio prosequens, &  
ut præveniat, quos metuit, occasionibus imminens gra-  
vius nocendi.

III. Cui cum tali Principe vivendum est, oculos &  
aures apertas habeto semper, ut promptè & intelligat, &  
exequatur mandantis nutum, nil objectans, nil moræ  
nectens: ne contradictionibus opinionem Principi mo-  
veat arrogantia, ac se sapientiorē ipso credere videa-  
tur. Nil dubitet ad infima ministeria submittere sese,  
etiam illa, quæ fortunæ suæ parum convenient. Inju-  
riarum tolerans esto, nec diu memor: ac post offensam  
tanto officiosior. Merita sua minimè ostendet, ne ex-  
probrare videatur; officia officiis pertegat, ne, ut ille ait,  
perpluant; novisque subinde accumulatis memoriam  
priorum resuscitet. Irâ commotum ne accedat, omnia  
displicent talibus, etiam qui sunt ipsis carissimi, neque  
facto neque dicto gratiam apud eos tum ineunt. Fami-  
liaritas ab ingeniis hujusmodi facillè in contemptum ver-  
titur: quæ proinde, quantumvis etiam Principe eò tra-  
hente fugiatur. Omnia potius ad reverentiam & mo-  
destiam composita sint. Leones hi sunt; mansueti ali-  
quamdiu: sed denique etiam in notissimos, etiam in re-  
ctores ipsos, savientes.

IV. In quibus sanguis magis luxuriat, læto plerum-  
que ingenio sunt: voluptatum & faceriarum amantes;  
tristitiam, seriamque negotiorum ac contentiones fugientes;  
paci cupidi: rerum administrationem aliis remittentes;  
in quibus nihil molestius, quàm querelas, ferunt. Hu-  
mani, lepidi, ab injuriis, præsertim gravibus, abstinentes;  
acceptarum non magis, quàm factarum memores: pla-  
cere juvareque avidi; & plerumque liberales.





V. Cum talibus agenti, venerationis quidem officia non negligenda, sed seria non nisi quam parcissime tractanda. Nunquam illi, qui vel gravissima maximèque ardua publicæ rei munia administrant, antequam advocentur: vel certi sint, oblectationibus Principem nullis vacare. accedere debent: alioquin maximas ipsius delicias interrumpent atque ruborem, velut deprehenso, & animi ipsorum tacitum timenti convitium, incutient. Taliter a quando ludenti Philippo Macedoni Antipater præ scribus esse nuntiabatur; illico turbatus nec obscurus offensæ, læto aleam condidit, erubescens inter ludicra ab Antipatro videri. Quemadmodum igitur, rerum potiente tali, in seriis arduisque alios supereminent, qui præcipuas imperii curas capessunt, ita hi superantur ab aliis familiari accessu Principis, qui serios, ut ingenio suo discordes, fugit.

VI. Qui propicio, ut loquuntur, Jove nati, tam seriarum, quam ludicarum rerum capaces sunt, acceptissimi plerumque sunt talibus Principibus: dum modicum absunt à Principe, id caveant, ne sibi facilitas nimia auctoritatem apud ceteros diminuat. Incorruptus maneat dignitatis honor. Absque hoc, ut vulgare proverbium habet, familiaritas contemptum pariet; contemptus audaciam quiritationibus, simul ac species injuriæ fuerit, dabit. Quas sublaturus Princeps, tristium inimicus, amovere nitetur eum, qui culpæ fuerit manifestior.

VII. Melancholici ingenii Princeps in consiliis est lentus, anxius, meditabundus, diffidens, suspicax, ingeniosus, & plerumque malignus; in silentium compositus, verba in ambiguum implicans; sensus alienos scrutans potius, quam aperiens suos, dissimulator; salium ac familia-





miliaritatis inimicus, solitudinis amans, difficilis accessu; paucis nec nisi frigide, amicus: odisse facilis ob diffidentiam, individuum ejus comitem; avarus, & absurdè omnia etiam tutissima timens tam offensorem, quàm offendentium osor: vindictæ implacabiliter aridus, & quem reconciliatum quoque timere debeas.

VIII. Cum ingenii hujusmodi circumspicere cauti-  
tissimeque agendum. Linguæ inprimis moderari oportet, & de singulis verbis velut in consilium ire: ne aliquid loquaris alienum vel offensurum: aequè etiam, ne loquaris non compellatus. Veneratiore potius nimius esto, quàm modicus: à contradicendo abstinens, in consiliis hæsitantem non urgens, ne bilis atra incensa, in choleram, hæc porrò in odium vertat. In postulando ne sis importunus, inprimis ubi facilem repulsam putes. Minimè enim expedit dandis cuiquam repulsis assvescieri. Principem: præcipuè verò talem, qui tristis ingenio in sinistra suspicionum pronus, quem frustratum dimiserit, inimicum putabit. Nec hunc postea metum facile unquam ullo artificio exemeris. Longa est talibus injuriarum memoria, & ex ingenio suo alios merient omnes pariter odii pertinaces credunt.

IX. Quid multa? ista ingenii constitutio asperissima omnium, difficillima, & ob varietatem nebularum, quas fusca imaginatio objicit, maxime inæqualis est. Quò laboriosior est quoque cum talibus vitæ consuetudo.

X. Phlegmaticus de pondere & tarditate melancholici participat: sed, ut ingenio, ita malignitate & diffidentia impar. Frigore veluti stipatum cor gerit: & hinc sibi potius, quàm alijs, diffidit; magna aggredi timens, quia de successu desperat, aut modum gerendi nescit.



29  
nescit. In consiliis dubius, pavidus in exequendo, ingenio stupidus, in odiis non asper, nec in amore vehemens.

XI. Talium frigori excitando minister aduossus, animo manaque promptus, conuenit. Princeps enim, cum reperit idoneum exequendis, quæ ipse pro desperatis habuerat; perspecta ingenii sui imbecillitate, talem amat, admiratur, & ut necessarium sibi, colit: favorque talis, quod opinionem necessitatis irritat, plerumque durabilis est. Quæ animadvertens minister, id agit, ut quam ardua maximè, & Principi effectu difficilissima credita negotia, ad prosperum exitum perducatur: idque, si fieri potest, solus, saltem, ne se ipso promotionem socium assumat. Quo sine cavendum illi, ne ab aula longè absit, nec rerum caput Principem omittat. Si enim alius aptior muneri habebitur; minoris eris tu; ceu minus necessarius: atque ita, in commissionibus semel atque iterum posthabitus, ad extremum spernere.

XII. Verus ars est aulicorum, non ad sciscere socios, nisi quibus plurimum virtute prudentiaque antissent; ut ad tenebras istorum tanto splendidiore appareant, nec inueniat facile Princeps, quem istis opponat vel præponat. Adde, quod isti minores, quoties opus est illi, cui fortunam suam debent aut possunt debere, artibus malis, corruptionibusque, & parent facile & seruiunt. Id quod æque sperari non potest ab æquali, aut propriis viribus subnixo.

XIII. Hæc sunt inclinationum humanarum genera, quibus nil minus Principes, quam alii, obnoxii sunt, propendentes nunc in hanc, nunc in illam partem, præpollentia hujus vel alterius temperiei,

D

CAPUT



## CAPUT. X.

*Corporis temperiem, inclinationes & actiones Principum variant aetas, negotia & consuetudo; ac ingenium, quod in metu latebat, hoc cessante, produnt. Sapientes nonnulli, ac Philosophi, ex eo notati.*

## I.

**C**æterum quamvis hæc ut plurimum ita sint, non tamen pro perpetuis sunt habenda. Corporis temperiem aetas, negotia, & consuetudo, variat: quid ni & inclinationes actionesque Principum?

II. Belli tempore Princeps viros militares amplectetur: quorum mox vicissim gratia pacatis regni rebus, facile senescet. Si vergit ad voluptates vel quemcunque affectum alium Princeps; verget quoque ad amandum talium ministros.

III. Vide quid de Tiberio Tacitus testetur. *Annal. l. c. si. Morum quoque tempora illi diversa: egregium vitæ famaque quoad privatus, vel in Imperiis sub Augusto fuit: occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus & Drusus superfuere. Idem inter bona malaque mixtus, incolumi matre: instabilis sevitia, sed obtectis libidinibus, dum Seianum dilexit, timuitque. Postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore & metu, suo tantum ingenio utebatur. De Caligula acutum Plassienii iudicium est; Nec meliorem unquam servum, nec deteriorem dominum fuisse.*

IV. Marius & Sylla, incredibile dictu est, quam variiis moribus egere: dubitatque Plutarchus, an fortuna mutaverit ingenia, an latentia jam pridem in iis flagitia tantum apererunt.

V. Mihi



V. Mihi si sententia dicenda sit, non videntur ista ingenia alium induere vultum, sed exuere tantum larvam, quam iis metus circumdederat: Similia, ut de Xenone Leontius dicebat, serpenti, qui frigore contractus, non nocet; refocillatus calore, promit aculeum.

VI. Tryphon, teste Josepho, dum privatus ageret, colligenda populari benevolentia, boni viri personam assumerat: Rex factus, mox larvam abjecit; palamque ostendit, fucum fuisse quidquid probi in ipso apparuisset.

VII. Nec longè dissimilis Agamemnon fuit, si verum quod illi apud Euripidem objicitur. Modestus facilisq; accessu, antequam Dux Græcorum eligeretur; mox amicorum inimicus, inaccessus omnibus, domique clausus latuit. Adjicit Poeta utile præceptum:

*Frugi viros, ad alta vectos munerum,  
Mutare mores convenit nunquam suos.*

sententia optima; sed quam nemo, certè paucissimi, sequuntur. Pollio secutus quodammodo videtur, si Seneca credendum. Postea, inquit, promptus ad amplissimos honorum gradus, nulla occasione corruptus ab insito abstinentia amore deflexit: nunquam secundis rebus intumuit, nunquam negotiorum varietate continuam laudem infregit.

VIII. Enim verò Principum defectus plurimi maximeque ab arrogantia proficiscuntur, pedissequâ potentium fere individuâ. Hæc contemptum consilii alieni inducit; persuasis, quantum potestate supra alios, tantum se & prudentiâ eminere. Quidam hoc typho adeò abripiuntur, ut infra fastigium suum esse putent, legibus aut rationi parere: nec futuros Principes, quibus non liceat quod libet: secundum illud;

D 2

*Sanctitas*





*Sanctitas, pietas, fides,  
Privata bona sunt: quæ juvat, Reges eant.*

IX. Opinionibus hujusmodi si vulgaris tantum ingenii Principes corrumpentur, minùs mirarer: sed video, potentia ac dominatùs præstigiis optimorum quoque mortalium mentes occæcari.

X. Dandis modestia præceptis nemo olim septem Græcia sapientes superavit: sed nec ulli tētriores extiterunt tyranni, quàm qui ex iisdem, ad Imperium pervenere.

XI. Appianus, de Aristone Philosopho loqui exorsus, recenset non paucos, qui, nomen idem professi, Athenis olim tyrannidem exercuerint. Nominat etiam Pythagoricorum quosdam, qui in Italia partibus rerum potiti, impotenter admodum imperio abusi sunt. Quod dubitare nos facit, an Philosophi, qui tam superbe honores dignitatesque contemnunt, bonâ fide id faciant: an non potiùs prætextum integumentumque paupertati atque ignavia suæ quarant.

XII. Certè, si Aristophanem audimus, iidem Pythagorici frugaliter parceque ob paupertatem, non ob virtutem vivere, minimè aspēnantes genialiter cenare; si quis invitavisset.

## CAPUT XI:

*Quantum impostores possint apud Principem adulationibus suis? Et quomodo Princeps contra eos muniendus.*

I.

**S**ed sapissimè Principibus impostores quidam occultis suggere.



suggestionibus assentationibusque arreput; qui ut plurimum Principis ingenium transmutant.

II. Id genus hominibus factum Vitellii; crudelitatemque Tacitus imputat.

III. Vespasianus, modesto ingenio natus tributorum iniquitate opprimere subditos, à talibus magistris didicit; ut idem Tacitus testatur. Quid multa? certum est, plerosq; qui talium usi sunt ministeriis, degenerasse Benevolentiam sibi conciliant impostores isti, Principi magnitudinem, potentiam, utilitatemque ostendendo. Qui tanto libentius amplectitur illos, quanto minus partes intelligit muneris sui nec animadvertit, cæcus, applaudere istos, ut prodant ut contemptui ipsum, ut odii tandem exponant.


IV. Et sanè, obsequi avaritiæ, crudelitati, libidinique Principis, ratio prodendi securissima est: quum hic proditorem condemnare non possit, quin reum se ipsum agat.

V. Clodionem Comatum ope Ægidii, tunc potestate Romana in Gallia imperantis, Francones regno depulerant. Quem ex amicis quidam restitutum cupiens, Ægidio se aggregat, ejusque avaritiæ & crudelitati, quam ante satis innotuerat, frigidam suffundit. Orto mox Romani injuriis fastidio, rediit Franconibus in Regem amor, illumq; ad sceptrum revocant. Ita Franco iste, ad prodendum Domini sui hostem, ipsius cupiditatibus feliciter usus est.

VI. Sejanus Imperio Romano imminens, vide quibus artibus utatur. Fastidium urbis Tiberio post inclusam carceri, ipsius insinu, Agrippinam, liberosq; ejus venisse animadverberat. Mox inclinantem impellere non negligit; sperans, agente in secessu Principe, vim







Imperii, rerumque regimen, sibi relictum iri. Quod & factum: vereque aliquamdiu Tiberius parvæ Insulæ Dominus, Sejanus Imperator fuit.

VII. Perennius, Imperium agitans, primùm illos, qui spes suas morarentur, prætextu conjurationis, quam Lucilla in Commodum struxerat, circumvenit, tollitque. Mox Commodum ad voluptates trahit, quo ipse interim præcipua rerum capefferet, tandemque imperium consequeretur.

VIII. Eandem viam Bardas, Michaelis Imperatoris Constantinopolitani, patruus, ingressus est. Sublato Theoctisto, tutore Principis, collegâ suo, Theodoram quoq; Michaelis matrem, in exilium agi curat; suadens juveni pupillo, ut ipse imperium capefferet. Cui imparem mox ad voluptates & delitias avertit. Isque tandem aurigationibus penitus dedens se, nihil porro laudabile agitavit. Bardas interim populi studia sibi parat, doctos ad se accersit, literas Constantinopoli restaurat, stravissetque sibi his artibus ad rerum summam aditum, nisi alius prævenisset.

IX. Non affero hæc, ut quei circumveniendi sint Principes, doceam, sed hinc discere ipsos Principes velim prudentiam in dignoscendis ministrorum consiliis necessariam, imprimis ut caveant eas, qui omnibus ipsorum libidinibus actionibusq; quantumvis pravis applaudunt fideliores credere aliis malefacta quandoque nigro, quem merentur, calculo notantibus.

CAP.





# CAPUT XII.

*De Principum domesticis & familiaribus; deq; ipsorum paranda amicitia.*

## I.

Consideratis, quæ aulae candidato in Principe expendenda, ad domesticos ejusdem accedamus, ob munus, quod administrant, circa Principem continuos; utibiles proinde ad Principem accessuris, seu aditum extraordinarium illis procurando, seu mentionem eorum injiciendo, seu de occasionibus, quibus res suas agant, admonendo. Plerique Principum alium in privato, alium in publico vultum gerunt: & libentius domesticis istis, quos fidos esse crediderint, recludunt sensus suos: rati, humilitatem illorum proditionis malorumque conatum incapacem esse.

II. Quis Claudium Imperiis obnoxium libertorum ignorat? Quorum unum, Pallantem, adeo ditayerat, ut ipse aliquando, inopiam questus apud alium, hanc audierit vocem, adoptari se à Pallante curaret; illico cessuram inopiam. Eodem authore Agrippinam duxit, Claudius, postquam operâ Narcissi, iridem liberti, Messalinam peremisset.

III. Quis nescit, stante Imperio Constantinopolitano, vim ejus Eunuchos aliquamdiu tenuisse? Absque illis fuerat, Arbetio, summus Imperii arbiter, verissimo accusatore, vitam perdidisset.

IV. Botoniatem, unum ex iisdem Imperatoribus, mediaستي duo, Borilus & Germanus autoritate, quâ penitus obnoxium habebant Imperatorem, Isacio Alexioque Comnenis inimicum reddiderunt.

V. Pone



V. Pone Principem non communicare cum istis consilia: facilius tamen hæc indagantur à talibus. Nec enim fieri potest, ut larvam semper Princeps in privato quoque gerat. Præmit sæpè reconditque turba ac publica vita affectus; qui erumpunt, quum libertatem illis secreta fecit.

VI. Est omninò res necessaria in aulis, omnis generis homines, etiam vilissimos, utiles æstimare sibi; credendumque certò, cum auctoritate & fortuna prudentiam quoque ingeniumque augescere. Id quod Arrianus, ad Epictetum, exemplo Epaphroditi, duorumque ejusdem mancipiorum, ostendit. Quorum unus imperatori à cloacâ maculâque, alter à calceis, quum esset, postea Epaphroditus, qui nuper ut inutiles eos vendiderat, non tantum gratiam captabat illorum, sed etiam prudentiam laudabat.

VII. Nulli ferè in aulis fortuna tam risit propitia, quin ea tantum inimicorum, quantum amicorum, conciliet. Neminem quoq; ferè eo depressit, quin nocere vel vicissim prodesse quomodocunq; possit. Unde non frustra olim, Tiberio imperante, *janitioribus Sejani innocenscere* [verba historici sunt Annal. 6.] *pro magnifico accipiebatur.*

VIII. Prudentis igitur erit, familiarium principis quorumcunq; amicitiam omnibus, quæ decori ratio permiserit, officiis prentare.



33

CAPUT XIII.

*Genera quatuor Procerum aulae. Primi quomodo colendi, tractandi; quàm cautè Principibus non satis constantibus fidendum.*

I.

**A** Familiaribus Principis ad Proceres aulae veniamus. Qui variorum generum sunt: alii natalium splendore fulgent, gratia Principis intimiore destituti. Alii gratiosissimi apud Principem, nullis tamen honoribus funguntur. Alii honoribus quàm gratia validiores. Alii denique & gratia florent, & negotiis adhibentur.

II. Primorum benevolentia parùm fortassè tuis incrementis conduxerit: qui nihilominùs, tum ex meritò colendi erunt, tum, ne, si minùs possint ipsi, saltem per clientes, amicosque, noceant tibi.

III. Talibus enim clientelis illustres familiae plerumque valent: aliis beneficio veteri devinctis; aliis reverentia magnitudinis, & fortunæ, quæ Principum animos facillimè mutat, Proceres ejusmodi colentibus.

IV. Archelaus, Rex Cappadociæ, Tiberium, Rhodi agentem, colere magno suo malo omiserat. Tiberius enim, Imperium adeptus vindictæ desiderio aliam speciem prætexens, vocari eum Romam jussit. Ubi miser quæsitâ morte periit. Quod officium tamen, ut historicus testatur, non per superbiam omiserat, sed ab intimis Augusti monitus, quia florente C. Casare, mihi ad res Orientis intuta Tiberii amicitia videbatur.

V. Considerandum heic, istius modi fortunæ proceres sæpè, ut benè merendi impotes, ad nocendum fati virium habere. Hi ergò, etiam si maximè graves suspe-

E

suspe-



84 (o)  
suspectosve Principi videris, colendi tamen sunt, quak-  
to arcendæ invidiæ prætextu, saltem cavendo, ne ini-  
micos habeamus.

VI. Si accidat, ut cum talibus committere te velit  
Princeps, quod dominantibus haud inusitatum, certa-  
men hoc uti non recusandum, ita magna arte, magno-  
que occasionum delectu suscipiendum est, dandaque  
opera, ut & Principi satisfacias, & cæteris conatus tuos  
approbes. Plenum periculi est ausum tale, sed, si autore  
Principe suscipiatur, incrementi via est.

VII. Alius hec sub nomine peragit omnia. Cui, qui  
infra proceres sunt, facile submitunt fasces, metu, si  
non faciant, Principem offendendi.

VIII. Alius Principi adhæret arctius, magno famæ  
accremento, si prudens fuerit legendis occasionebus spe-  
ciosis, tum Principi, tum emolumento publico lauda-  
biliter inserviendi.

IX. Cavendum autem, ne aliquid adgrediaris, quod  
exequi non possis. Nam, præterquam quod vulgus ex  
eventu omnia judicat, & inde jus, unde fortunam, sta-  
re credit, Principis famam, gratiamque, qua te com-  
plexus fuerat, sinistris successibus mirifice imminueris.  
Is enim abolendæ ignominia causa, & quod apud sub-  
ditos vilescere metuet animosque addere adversario,  
quem frustra oppugnaverit, defugere auctoritatem teq;  
destituere cogetur.

X. Cæterum, cave credas, dum de certamine cum  
proceribus loquor, velle me, ut vi cum illis agas; quan-  
doquidem id citra tumultum fieri nequit: nec ut con-  
tumelias & calumniis incessas, id enim hominum est  
parvi ac fortuna corrupti iudicii: & finis talium raro  
est



est auspicatus. Pisonem vide, quem Tiberius ad spes Germanici coercendas in Syriam miserat, tam insolenter se gessit, ut Princeps, Germanico sublato, publico illum relinquere odio necessum habuerit.

XI. Quando autem actionibus Procerum contraire suademus, illos intelligimus, qui aliquid ex iniquo habent, vel contra Statum Reipubl. religionem, justitiam, regimen exercituum, & ararii curam suscipiunt. Quibus ita occurrendum est, ut pateat bonis, & quorum interest, omnibus, nulla privatâ te stimulatione, sed solius publici honesta curâ agi.

XII. Si exemplum, quod imitari possis; flagitas; Ximenem Cardinalem nominabo, electum ab Isabella, Castiliæ Regina, quem Proceribus opponeret, nondum tunc obsequio regio ita subactis, ut hodie sunt. Ex Monacho Franciscano Regi primùm à confessionibus, post consilio Cardinalis Mendozæ, Archiepiscopus Toletanus, denique inquisitor fidei factus, autoritate summa inter Hispanos egit; unus ibi primùm Isabella, mox Ferdinando Imperante, denique ad Caroli V. usque adventum rerum negotiorumque arbiter; cum proceribus ita concertans, ut populum Principemque sibi semper addictos haberet.

XIII. Fama quidem fuit, veneno interemptum; idque ipse suspicatus erat: sed nunquam probari res potuit: & rectius naturæ atque annis (admodum enim senex obiit) mors tam fera tribuitur; nihilique adeo prohibet, quin fortunam suam, quam magna ex parte sibi debebat, integram ad extremum perduxisse credi possit.

XIV. Non eadem Cichonis Simonetæ fortuna fuit:

E 2

fuit:





fuit: qui, Francisco Sfortia, rerum Mediolani potente, præcipuis negotiis adhibitus fuerat: postea à Galeacii im-  
puberis adhuc matre ob fidem atque prudentiam rebus  
regendis dilectus, fratribusque herilibus oppositus est.

XV. Is, ut Imperium pupillo servaret, fratres Ga-  
leacii, ac Robertum de S. Severino, Mediolano eiecit.  
Quantam invidiam subierit? cogita: sed & vide, quàm  
nequiter mox sit destitutus. Mater enim vidua, pau-  
lò post in gratiam cum adversariis rediens, pretium a-  
micitia Simonetam fecit. A quibus diu in carcere de-  
tentus, miserèque excarnificatus, periit. Disce hinc, quàm  
cautè fidendum sit Principibus, quos non satis constan-  
tes cognoveris. Levem ob causam lubrici inimico-  
rum prostituunt ministros.

#### CAPUT XIV:

*Alterum, tertium, quartumque Procerum aulicorum ge-  
nera; singulorumque colendi & captandi ratio.*

I.

Procerum alii, quod jam dictum, apud Principem qui-  
dem gratiosi, nullo tamen dignitatis gradu eminentes  
vivunt. Hi si nihil aliud conferunt nobis ornandis, adie-  
tum saltem ad Principem struere possunt.

II. Sed & commodi esse queunt commemoratione  
meritorum, vel, si res ita ferat errorum excusatione;  
protegendò item nos adversum calumnias & sinistras  
aliorum delationes. Iidem, ut benevoli prodesse mul-  
tum, sic irritati nocere quàm plurimum queunt. Quare  
modis omnibus, conditione nostra non indignis, gratia-  
talium captanda est. Cogita, rarò istos intra domesticam  
Principis consuetudinem diu subsistere, quin ad hono-  
res



res provehantur. Et pone aliquam ob causam ipsos non provehi : commendatione tamen sua promovere amicos ad dignitates possunt, atque extollere supra alios, quamvis meritis æquales.

III. Tertium genus diximus eorum esse, qui ad res gerendas autoritate maxima præditi, modica tamen apud dominantem gratia agunt. Hi reperijuntur apud eos maximè Principes, qui pacatè vivunt aut voluptatibus vacant, publiciarum rerum incuriosi : atque ea propter, uni aut alteri ex fidis regimen committentes, de arduis negotiis acturos, metu seriorum averfantur.

IV. Tali aula statu, gratiam quærere ministrorum studiosius quàm dominantis oportet. Hic enim, quibus administrationem rerum, iisdem & deligendos, qui officijs præficiantur, permittit ; ineptus ipse deligere, quum, quis cui muneri par sit, ignoret.

V. Sunt alii Principes, qui regiminis majestatisque suæ tenaciores, unum aut alterum rebus gerendis præficiant, ad familiarem tamen consuetudinem atq; conspectum, nisi quum de arduis agitur, non admittunt. Nec munerum dispensationem illis concedunt, metu, ne illorum potentia multitudine clientum eò assurgat, unde, si peccaverint, dejici non possint. Solent certè cauti Principes ministros suos metu continere, fidemque facere illis, potentia molem, vel longissimi temporis labore constructam, uno oculi nictu sede moliri posse.

VI. Erga tales Proceres, quorum adeò circumscripta est potentia, quomodo te geras, difficilius est perspectu. Benevolentia eorum non multum tibi profuerit ; forsitan etiam, si de ea suboluerit Principi, nocebit. Rursum destitutus illa, difficulter pervenies ad negotiorum tra-





Stationem : rursumque non sine periculo sæpè cum  
iisdem concurrere necessum habebis.

VII. Heic igitur circumspecta comitate opus erit. Omnia illis venerationis officia exhibebis, & occasione data, secretam animi promptitudinem, sed cautè testaberis. Interim negliges alium quærere tibicinem, quo adin-  
niculante principi innotescere atque conjungi arctius  
possis.

VIII. Restant ex Proceribus illi, qui & gratia valent  
apud Principem, & rerum administrationi præsumt. Hi,  
ut breviter dicam, pari honore cum Principe colendi  
sunt.

IX. Horum inclinationes & voluntas speculanda;  
quas scire & exequi plus, quàm Principis, oportet.

X. Ad hunc igitur modum potentiã Procerum & au-  
toritate, velut per gradus subductã, quid à singulis spe-  
rari possit, non ignorabimus. Sollicitè quippe caven-  
dum, ne quidquam ab ullo postulemus, quod effici non  
posse videamus. Nil enim humano molestius accidit  
ingenio, quàm non posse postulatis ejus, quem amas, sa-  
tisfacere.

XI. Certè amicissimus quisq; supplicatione incivili  
aut vires excedente deprehensus offenditur. Eumque,  
à quo repulsam tuleris, conspectum tuum averfaturum,  
scito: metu, ne similis postulati impudentia pudorem,  
incurias sibi, atque etiam ne autoritatis defectu efficere,  
quod roges, non posse videatur.

XII. Cæterum, (ut hoc obiter addam) ad Procerum  
notitiam non statim patet accessus: per gradus ad hos  
quoque enitendum. Adeòque qui apud illos multum  
possunt, seu peregrini, seu domestici, imò etiam qui ab  
his



his dependent (dispecto, quænam singulorum ad alios  
ornandum vires sint) conciliandi erunt.

## CAPUT XV.

*Aulici infra Procures positi, quinam? & qui cum illis agere  
diem: primum cum inimicis, qui nos nostrorum causa,  
quibus infensi sunt, oderunt.*

### I.

Sunt in aulis alii, qui infra Procures positi, nobis sunt  
superiores, vel æquales, vel inferiores. Ique omnes  
duum generum: alii enim, ut profint nobis; alii, ut no-  
ceant, aptiores. Auctoritas utrorumque & potentia, dili-  
genter est pensanda, ut colligas, quanta sit, ad id, quod  
affectamus, vel promovendum vel impediendum. Pen-  
sanda item amicitia & affinitates: necessitate sæpè re-  
quirente, ut calculum eorum ad nostra proposita flagi-  
tantes, vel per ipsos invidiam deprecantes, per clientes  
cum illis agendum sit.

II. Inprimis autem cavendum, ne tum demum qua-  
ramus istorum amicitiam, quum ea opus est nobis: Præ-  
paratam eam habere oportet, & altioris benevolentia pi-  
gnoribus conciliatam.

III. Eorum, qui officere nobis possunt, tria sunt ge-  
nera. Vel enim inimici, vel invidi, vel competitores at-  
que æmuli erunt.

IV. Qui inimici sunt, vel nostra causa nos, vel nostro-  
rum, quibus infensi sunt, oderunt. Sed posterius hoc  
odium plerumque altero minus acre est, mitigarique  
potest officio aliquo, quo, diligere nos amicos, testemur,  
quanquam salvâ cum inimicis istorum necessitudine.

V. Verum plerumque factiosa sunt aularum ami-  
citia



citiae & crudeles, ac, ut omnes ipsis invisae familiaritates abdicentur, postulant.

VI. Hanc ob causam nonnulli, palam unius amicitiam praeferentes, adversam tamen partem occultè colere non desisterunt: non ut proderent amicum, sed, si caderet, subsidium sibi praeparantes. Et sane potest culpa carere conservatio sui; proditio contra omni viro honesto indigna est.

VII. Prudentia ista non in aulicis tantum contentionibus, sed & in Imperiis feliciter est usurpata. Syenneses, Tarsensis praeses, quum, inter Cyrum & Artaxerxem orto bello, Cyrum oppugnare metueret, partes eius amplexus est, filium verò ad Artaxerxem militi patri, si Cyrus vinceretur, perfugium futurum.

VIII. Bardas Durus, vinculis Saracenorum elapsus, Bardam Phocam adversus Basilium videns creatum Imperatorem, amicitiam Phocae haecenus inimici, quaesivit, filium verò, simulatam fugam Basilium sequi iussit, intercessurum pro patre, si Phocas vinceretur. Quod & factum,

IX. Solon quidem, Republicam discordante, nemini inter partes ambigendi libertatem permittendam sanxit: non id tamen, credo, voluit, ut amici, diversas partes amplexi, nuncium amori privato remitterent, quin potius sperabat, amicos, diversa secutos, de pace publicam tunc cupidius feliciterque laboraturos.

X. Ad eum modum in aulis, diversus licet factione, amicitiam tamen cum alterius factionis homine servare potes: tum, ut mutatae fortunae receptum habeas: tum, ut animis ad mitiora inclinatis, pacis aptior sis conciliator. Nulla est tutior honestiorque ratio inter discordias Procerum, & contentiones apud utramque contendentium partem gratiam ineundi.



CAPUT XVI.

Deinde cum illis inimicis, qui nos propter nos vel nostri causa, & offensi à nobis oderunt, uti agendum? Ubi de minis & injuriis.

I.

Qui nos propter nos oderunt, vel offensi à nobis id faciunt, vel (quod familiare magnatibus in inferiores est, de quibus Itali proverbium habent, Qui offendit, non condonat) quia nos offenderunt. Hoc habent pessimum animi magnâ fortunâ insolentes; quos laeserunt, oderunt.

II. Injuriarum, quas hi nobis faciunt, optimum remedium est, si non intelligantur. Si verò rei gravitas indicium offensæ intellectæ expresserit; citò post illam, mitigatum dolorem, memoriamque injuriæ deletam, ostendemus, alioqui, si tolerare nos impatienter injuriam videant, vindictæ metum, adeoque præveniendi cupiditatem illis incutiemus.

III. Inprimis à minis heic abstinendum: præcipuè si non illicò ad exequendum sis paratus. Minæ enim vigilantiam adversarii ad cavendum acuunt, lacesuntque odium ad geminandam injuriam, nobis verò sæpè pudorem gignunt, si spirare vindictam, sed viribus deseri videamur.

IV. Scio, moderationem istam non omnibus probatum iri, minimè certè hominibus vindictæ cupidis; qui putant, nullam injuriam sine sensu tramittendam, non solum ob dulcedinem, quæ inest vindictæ, sed etiam, quod, veterem injuriam si feras, invites novam: odiis proin immortalibus persequen-

F dos,





dos, qui nos offenderint, Verum tales, dum reddere se formidabiles cupiunt, hoc simul efficiunt, ut nemo cum iis habere commercium velit. Quum enim labi prona gens mortales simus, subindeque, seu affectu, seu incogitantia, abripiamur; quisque, metu offensæ, istos odii tam properos tenacesque fugiet, & ceu bestias feroces solitudini relinquet suæ. Denique, si cum quis offenderit, inimica mox omnia ab ipso expectans; dum vindictam metuit; prior inferre cupiet. Quare, effugiendis tot malis ego contrariam potius viam insistentem existimo, præferendamque lenitatem; quæ ne in magnis quidem injuriis difficilis est; habito in primis discrimine, quibus ex causis ortæ sint, quæque conditio illorum, qui intulerunt.

V. Injuriis enim levioribus, & ex perturbatione potius quam malitia ortis, ad eò non offendi debemus, ut expediat, nec sensisse illas videri. Si injuria sit atrox, exstimationis nostræ quidem non incuriosos nos ostendemus; sed nec ita quoque lædentibus implacabiles erimus, quin spem reconciliationis, locumque veniæ, satisfactionis relinquamus. Quam ad rem non inutile fuerit, queri apud amicos ejus, qui læsit, de injuriâ, iisque arbitrium causæ suæ committere.

VI. Injurias, per petulantiam insultandoque factas, ex tempore, quum fiunt, vindicandas puto, non tam ultionis studio, quam ut castigetur is, qui fecit, & modestius sese gerere, non erga nos tantum, sed & alios, discat.

VII. Minimè verò tales odio implacabili ulciscendi sunt. Immo testari oportet, querelarum vindictæve querendæ necessitatem invitis nobis impositam: data autem, pro ratione injuriæ, satisfactione nos ad redintegrandam amicitiam paratos esse.

VIII.



VIII. Quod si postea poenitendinis, vel secretæ etiam, indicia aliqua præbeant aut operam nostram implorent, redeundum est cum illis in gratiam. Et hostimenti loco sufficiat nobis summissio, quâ carere se nostrâ amicitia non posse profitentur.

CAPUT XVII.

*Injuria potentiorum vel non potentiorum, quo pacto evitanda, tractandaque & Reconciliationis varia artificia.*

I.

Sed, quia tales injuriæ plerumque ab iis, qui potentiores sunt nobis, inferuntur; his evitandis primum remedium est, non nisi reverenter cum iis agere, cavereque familiaritatis fastidia, aut, si asperiores sunt, penitus commercium eorum declinare. Notum est illud Martialis:

*Si vitare velis acerba quadam,  
Et tristes animi cavere morsus;  
Nulli te facias nimis sodalem;  
Gaudebis minus, & minus dolebis.*

II. Secundum est, nullum injuriæ sensum præ se ferre. Nec enim tutum, nec prudentis est, nimis certare cum eo, qui plus potest. Justus excusandæ dissimulationi prætextus sit, imparitas virium nostrarum.

III. Scio, persuasum nonnullis, metu aduersariis incusso, futurum, ut ii veniam & reconciliationem veniant oratum. Nec dissiteor, humilia quædam ingenia eo se nonnunquam demittere. Verùm ficta, minimèque sincera hæc est reconciliatio. Nec omittunt hi tales, si occasio





no detur injuriæ referendæ, indulgere animo : & quò timidiore fuerint, eò vindictam impotentius spirabunt. Proinde, quum difficilior sit evitatu occultus, quàm apertus hostis; præstat ferè, tales inimicos habere, quàm impulsore metu reconciliatos. Loquor verò de illis, qui nobis non majores, ruptâ amicitia, non magnoperè nocere possunt.

IV. Nam, si cum majori res sit, cujus inimicitia offere nostris luminibus possunt, ejus vel fictò redintegratum affectum, quàm apertè inimicum habere melius est.

V. Si nos priùs læserimus, priores quoque læsum, seu ipsi coràm, seu interventu amicorum, placabimus.

VI. Ad dijudicandum, cuiam ampliores vires sint ad nos premendos, opus est, non considerare potentiam tantum, sed & affectum, quo, præter odium, ad nobis nocendum feratur.

VII. Quosdam enim agit odii pedisequa, vindictæ cupido; alios verò metus, ne, adepti quod quaerimus, ad nocendum ipsis armatiore simus.

VIII. Ac acerrimi quidem stimuli sunt, quos vindicta animis injicit : violentior tamen ad oppressiones aulicas est metus : certè illà longè est inevitabilior.

IX. Prior mitigari officiorum humilitate satisfactioneque potest, timido, ut pro metu fiduciam benevolentia assumat, vix unquam persuaseris. Tentandum id est tamen modis omnibus; quos res nata potius, quàm disciplina ulla ostendet.

X. Agesilaus, quos insensos sibi sciebat, amicos rediturus, honoratissimis eos muneribus ornabat : quæ quum administrantes illi invidiam, ut fieri solet, incurrissent, accusati confugere ad principem cogebantur : qui,



qui, illos periculo infamiaeque liberans, beneficio sibi  
obnoxius, sincerèque amicos postea habuit.

XI. Perfamiliare aulis artificium est, supplantare  
aliquem occultè: ut, tuo beneficio erectum, tanto ha-  
beas obstrictiorem.

XII. Non minùs quoque frequens in aulis illa  
cavenda est Eutrapeli Horatiani versutia, quâ æs mu-  
tuò dabat ad luxum, sufflabatque animos illis, quibus rui-  
nam meditabatur.

XIII. Ita, qui voluptatibus nostris, qui affectibus, at-  
que expensis applaudunt, & suscipere nos jubent viribus  
nostris majora, aut repugnantia rationi, plerumque nos  
perditum eunt.

XIV. Sed redeamus ad modos redintegrandæ cum  
inimicis gratiæ. Inter quos hic neutiquam est postremus;  
Vota & conatus inimici, quorum successu te non impe-  
diri posse videas, consilio atque operâ juvare: ut debe-  
re amorem beneficiis tuis videatur.

XV. Hoc pacto Ascanius Sforcia Cardinalis, a-  
nimadverso, frustrâ se intercedere machinationibus Ju-  
liani Cardinalis, qui Johannem Alexandri VI. nepo-  
tem ad purpuram cardinalitiam provehere laborabat,  
adeò ambitiosè, postea causam Johannis egit, ut per-  
vinceret: inque amicitia istius dehinc potior ipso Ju-  
liano fuit.

XVI. Si pertinacia inimici omnem reconciliatio-  
nis conatum eludat, illud ultimò videndum est, an non  
alium adversarius magis, quàm nos oderit vel formi-  
det. Hunc competitorem & ipsi & nobis fore fingi-  
mus. Sic enim fiet, ut prevalente erga illum odio,  
desiderio nostro faveat, vel saltem minùs obftet.



XVII. Artificium huic non multum dis simile est, quo Gerlachus, Antistes & Elector Moguntinus, usus olim fuit, quum Adolpum Nassovium, cognatum suum, creare Imperatorem intenderet. Noverat, disidia esse inter Principes, qui imperio, cui rector quæreretur, vel imminabant, vel destinati erant. Quibus in rem suam usus, cum Electorum aliquibus secretò seorsimque agit. Monet Wenceslaum, Regem tunc Bohemorum, in Albertum, Austriæ Ducem, Wenceslai hostem, suffragia Electorum pleraque ire, se tamen, si de consensu sibi constaret Wenceslai, impedire paratum. Persuasio Wenceslao, Saxonem aggreditur; huiusque inimicum Brunsvvicensem, spei ad rerum summam proximum fingit. Palatino verò Wenceslaum (qui infensus tunc Palatino) cæteris, ni impediretur, proximior ostentat. Ita singulorum inimicos evetere promittens, omnes circumvenit; cognatum suum postremò Imperatorem nuncupans, quem primò nuncupatum procul dubio consensus omnium rejecisset.

## CAPUT XVIII:

*De invidia. Hac quibus modis superari possit.*

I.

Tam de invidia sermo instituendus erit; quæ tantum malum, ut ad superandum illud multa & felicitate & fortitudine sit opus; ut quæ non nisi participatione ejus, quod aliis invidet, satietur; unusquisque verò, sui boni pertinax, pro se, non pro aliis laborasse velit.

II. Sed, quantum vis difficulter, superabilis tamen est. Nec ad id communicatione boni, quod sectamur, simpliciter opus. Sufficit aliquando, invidentibus officia-



ostendere, bonum ab ipsis expetitur, si in nostrâ potestate sit, ad ipsorum quoque commodum atque decus futurum.

III. Quem in finem amicitiam eorum familiaritatemque ambire, ac illis, quantumvis invidiæ manifestis, optimè nos affectos ostendere oportet: affirmando, omnia, quæ velint, & nos velle; nec jam hoc, quicquid sit, ambire, nisi eo, ut amicis, atque ad eò ipsis, servire magis idonei simus. Breviter, id agendum est, ut ex fortunæ nostræ augmentis spem concipiant augenda suæ.

IV. Factus quoque, sumptuum splendor nimius, convivia intempestiva, omnis denique jactantia, invidiam caventibus præcipuè fugienda.

V. Iis præcipuè, qui ex humili loco surrexerunt: nisi Principis voluntas, vel muneris dignitas aliud requirat. Tunc enim aliqua magnificentia non deditur; dùm modo, se sumptibus faciendis non suæ, sed Principis voluntati, obsequi, ostendant.

VI. Tali prudentiâ moderationeque, initia Cardinalis Ximenis, oppidò quàm clara fuere. Obscuro loco natus erat, & incertum an nobili: quanquàm ejus fortuna invenit postea, qui nobilem assererent. Hic quum re esset angustâ, sit monachus: mox ob animi dotes, Isabellæ, Castilianorum Reginae, à confessionibus, Mendozæ Cardinalis commendatione, ac denique Archiepiscopus Toleranus fuit. Quem Archiepiscopatum, Mendozâ mortuo, quum à Pontifice Isabella Ximeni impetrâisset, hic, imparem se videns invidiæ, acceptare cum noluit.

VII. In eoque recusando ad eò fuit pertinax, ut submis-



submissâ ab Isabella omni ferè procerum aulâ, vix passus sit exorari se ad muneris illius susceptionem. Et, postquam annuerat, aliis iterum precibus fuit opus, quibus ad ampliores sumptus, & splendorem dignitati convenientiorem, induceretur. Etiam sic tamen in tantâ fortunâ prioris vitæ retinens fuit, ut non aliter quàm autoritate Papæ ad mutandum compelli potuerit. Benè cesit illi modestia hæc, & invidiam, quæ alioquin certò expectanda fuerat possidenti tot magnatibus Hispanis ambitam dignitatem, opesque regis tantum secundas placavit.

VIII. Cæterum agendi hæc ratio, quemadmodum sub dignitatum initia insigne contra invidiam amuletum est; ita parum prodest iis, qui semel jam superbius se gesserint. Ficta quippe postea moderatio talis videbitur. Cujus rei exemplum historia Constantinopolitana præber. Metropolitanus quidam, cui Constantini erat nomen, Isacii Angeli, & mox Alexii, Imperatorum, aulâ pulsus, postea cum Euphrosine imperatrice reversus, fastidium negotiorum vitæque aulicæ ostentabat, Diaconi suscipiens munus, quo fidem simulationi faceret, instantiusque rogaretur. Quid multa? Tam callidè rem gessit, ut Imperator ipse, à sacerdotii Sacramento absolutum, vocaret ad aulam, ac rebus maximis præficeret. nec contentus dignitate propria, fratres binos lateri imperatorio admovit, velut excubituos pro se absente, si quando propter momenta rerum aliò vocaretur. Verùm, quoniam ejus ingenii insolentiam prior fortuna nimium nudaverat, idcirco neque nunc, quamvis modestiam præferenti, diu creditum est; sed postea, remotus ab aulâ, & nunquam restitutus, obiit.



— 0 —

## CAPUT XIX.

*Emulatio, invidia foror. Contra hanc remedia.*

I.

**E**Adem, quæ invidiam averruncant, etiam contra æmulationem remedia valent; minùs quidem habentem malignitatis quàm invidia, sed contra plùs ambitionis non minùs alienis incrementis insidiantis.

II. Verùm, quos æmulatio afflavit, eos specie quâdam venerationis, & inanibus honoribus delinire, & ne competitores nobis sint, avertere possumus: erigendo nempe spem illorum ad altiora, etiamque, quâ licet, juvando: & contra deprimendo id, quod nos affectamus, ceu meritis ipsorum inferius, nostris autem, ceu non æqualia sperantium, auspiciis sufficiens.

III. Si metus sit, ne nos prævertant, injectâ dubitatione retinendi sunt. Quod fiet, si propositis in utramque partem argumentis, major species iis addatur, quæ remorando ambitui ipsorum apta sint.

IV. At omnium optimum fuerit, destinata nostra celare, donec æmulis vel infensis impediundi tempus effugerit.

V. Ambitus nimis manifestè prestantium odiosus nonnunquam & iis est, qui modestiùs agentibus pollicem conversuri erant. Ita majoribus cum difficultatibus conflitantur tales, majori quoque invidia, si pervincant, sin secus, opprobrio, expositi.

VI. Longè tutiùs est, (ut jam dictum) premere consilia; remiges imitando, qui loco, ad quem appellere laborant, tergum obvertunt.

G

VII. Ma.



20 VII. Maximorum etiam imperiorum candidati vi-  
am hanc insitère. Nihil usitatus illis, quàm, Euripidei  
Agamemnonis exemplo, majus quietis, quàm honorum  
desiderium ostentare. Senferuntque multi salubre hoc  
esse remedium avertendis adversantium insidiis, infa-  
miaque effugiendæ, quæ frustratos hos captatores ma-  
net. Gloriam denique eam consecuti sunt, ut, non  
suffragiis eblanditis, sed meritis ipsorum datus videre-  
tur honos.

II X. Deinde, in petitionibus honorum id maxime  
cavendum, ne concurramus cum aliquo, qui nobis ma-  
jor sit, & potentior clientelis. M. Lepidus, vir, Taciti  
judicio, sapientissimus, tunc imitandus erit: qui, cum  
Junio Blaso, Sejani avunculo, in senatum à Tiberio pro-  
ductus, ut alteruter eorum proconsul Africa legere-  
tur, valetudinem corporis, ætatem liberorum, nobilem  
filiam, obtendit; Sejanum haud dubiè inimicum veri-  
tus, si Blaso provinciam præripisset. Ann. 3.

IX. Sed nec obstinatè cum illo certandum est,  
quem primas aliquis evedtum it, quantumvis lex contra  
illum favorit nobis: lex enim sine dubio à gratiâ vince-  
tur; ut narrante historico, factum olim, quum Germa-  
nicus atque Drusus Haterum Agrippam, Germanici pro-  
pinquum nequicquam obstante lege, prætorem crea-  
rent. Sed verba ipsa opponemus: De prætore in locum  
Vipsanii Galli, quem mors abstulerat, surrogando, cer-  
tamen incessit, Germanicus atque Drusus Haterium A-  
grippam, propinquum Germanici fovebant. Contra-  
plerique nitebantur, ut numerus liberorum in candida-  
tis præpolleret, quod lex jubebat. Lætabatur Tiberius,  
cum inter filios ejus & leges senatus disceptaret. *Victa*  
est



est sine dubio lex, sed neque, statim, neque paucis suffragiis. Quo modo etiam cum valerent, leges vincebantur.

## CAPUT XX.

*Ruina quomodo effugienda? Imminens uti tractanda?  
Et exempla illorum, qui potentia exciderunt.*

### I.

**H**Astenus præcepta, viro Politico observanda, præcipua executi sumus. Si quæ restant, prudentia cujusque & dexteritas supplebunt. Quamquam autem illa non acquirenda tantum potentia aulicæ, sed & custodienda serviunt: non inutile tamen fuerit, in promptu simul exempla habere illorum, qui potentia exciderunt; ut alieno sapere periculo, & si ruinam effugere minus liceat, ad illam nos præparare saltem, discamus. Potest enim hoc non minus altero necessarium est: quomodo qui effugere nitentium vani sæpè sint impetus: qui se præparat, casum, paucis eorum evitabilem, quos fortuna: altè subvexit, sibi reddat molliorem.

**II.** Casus autem istiusmodi vel culpâ nostrâ, vel artibus inimicorum invidentium aut competitorum, vel perveritate ingenii Principis, vel denique morte illius, ferè eveniunt.

**III.** Quum omnium hominum vita vitii obnoxia, erroribusque reſerta est, tum imprimis, in alto vitam agentium, qui, ob auctoritatem, quâ omnia facta eorum, bona, mala, approbare, qui propè eos sunt, coguntur, ultra reprehensionis aleam sunt positi.

**IV.** Præ cæteris autem turpissima est insurgentium



in Principem suæ dignitatis autorem perfidia, ingrati animi malæque fidei notâ insignitum crimen & justissima indignationis odiique Principis materies.

v. Hujus flagitii fugere vel umbram in magnis dignitatibus positi viri debent, & proinde, ne quam Principi suspicionem moveant, illos quoque honores declinare, qui malis conatibus opportuni videntur.

v i. Sejanum Patereulus aulicorum judicat prudentissimum : & , fuisse, reverà oportet, qui callidi diffidentisque illius Tiberii gratiâ tamdiu floruit.

vii. *Actu, inquit, fuisse otiosi simillimum, nihil sibi vindicantem, eoque assequentem cuncta ; semper infra aliorum asimationes se moventem ; vultu vitæque tranquillum, animo exsomnem.* Hunc tamen tam cautum, versutumque ambitio tandem eò abripuit, ut ad imperium aspiraret. Eoque sine primùm matrimonium Livie, mortuo Druso, viduæ appetiit, quo, domui Caesarum innexus, facilius voto potiretur. Et, quanquam suspectum hoc esse postulatum Tiberio, ex tergiversationibus ejus intelligeret, non mutavit tamen animum, sed, quod hac non provenerat viâ, aliâ assequi tentavit.

viii. Tiberio fastidium urbis subisse, cognorat. Illico ille nutantem impellit, &, ut Capreas secederet, persuadet. Tacitus de hac re ; *Ne assiduos, inquit Ann. lib. 4. in domum coetus arcendo, infringeret potentiam, aut, receptando, facultatem criminantibus præberet ; huc flexit, ut Tiberium ad vitam procul Româ amœnis locis degendam impelleret. Multa quippe providebat : sua in manu aditus ; literarumq;, magna ex parte se arbitrium fore, quum per milites commearent ; mox Casarem, vergente jam senectâ, secretorum loci molitum, munia imperii facili-*



facilius tramissurum. Nec plane quidem illum spes  
 53  
 fefellit. Brevi enim tempore, specie sublevandæ se-  
 necutis Tiberii, omnem penè imperii vim ad se per-  
 traxit.

IX. Veruntamen viam, quam institit Sejanus, plus  
 periculi, quàm compendii habuisse, extrema tandem  
 ejus ostendère. Quæ accuratius heic memorare, pre-  
 tium quidem operæ videtur: ut & aulici nostri in for-  
 tunâ suâ regundâ, & Principes in aliis elevandis cau-  
 tiores fiant.

X. Tiberio Sejanus vel carus, vel toleratus fuit, quum  
 operam ejus in opprimendâ Agrippinâ & hujus liberis,  
 Nerone & Druso, experiretur utilem. Quibus faci-  
 noribus promptum Sejanus sese præbuit, gnarus, ita  
 non gratiæ tantum Principis velificari se, sed & poten-  
 tiam suam atque spes stabilire; non residuis de Cæsa-  
 rum domo nisi duobus adolescentulis; quorum tene-  
 ra ætas, si vel summum regimen accepissent, autorita-  
 tem, tractationemque rerum, ipsi relictura erat, dum  
 res pateretur, ut nomen quoque summum usurparet.

XI. Sed vide, quam præcipites ac temerarios faci-  
 at ambitio. Non vidit is, quo propius abesser à fasti-  
 gio, eò magis se suspectum Principis diffidenti inge-  
 nio potius minuendi se, quàm ulterius progrediendi,  
 querendas rationes. Ille contrâ egit. Cum enim ni-  
 hil sibi præter nomen imperatorium, (quod & ipsum  
 tamen erant, qui illi tribuerent,) præterq; potestatem  
 tribuniciam, (quod summi fastigii vocabulum Impe-  
 ratores solis sibi vendicabant,) deesset; non conten-  
 tus tamen, potentiam suam in majus subinde exagge-  
 rare nirebatur. Quâ re ut se venerabilem cunctis, ita  
 formidabilem Tiberio reddidit.

XII. His



xii. Hic itaque, quum videret, Sejanum non cohortes tantum prætorias, sed & senatorum plurimos, familiasque principes, partim beneficiis ac spe, partim metu, addictas habere; secretaque sua à domesticis ad Sejanum, non vicissim illius ad se, deferri: exitum mox velut æmuli, agitans, prius quàm oceptaret quidpiam, voluntates quorundam sibi percontandas duxit, ut consilium, quod agitaret, approbaturos à cæteris distingveret.

xiii. Ac ne Sejano quidquam de mutato Cæsaris animo suboleret, consulem illum facit; amicumque, laborum coram, & per literas, apud Patres & populum, appellat, morbum denique simulat, speculaturus Sejani & aliorum affectus.

xiv. Nonnunquam latiora de valetudine sua, & venturum se propediem in urbem, scribit ad Senatum: Sejanum laudans interdum, interdum deprimens, alios ab ipso commendatos recipiens, adspernans alios, ut ita inter spem metumque teneret ambiguum.

xv. Qui, seu gratiâ adhuc fretus, seu metu, ne spes suas omnes in casum daret, nihil per vim aggredi statuit; sperans inprimis, offensivunculas Principis, si quæ sint, tempore deletum iri. Alii interim, magis hætenus fortunam Sejani, quàm ipsum, secuti, perspectâ Tiberii mutabilitate, cautiùs agere incipiunt, multorumque paulatim in ipsum studia segnescunt.

xvi. Tiberius, superbum Sejani ingenium pridem perspectum habens, simul metuens, ne contemptu irritatus, ad periclitandam fortunam rueret, vulgari iudicio, propositam sibi, tribunitiam potestatem Sejano tradere; paulo post carceri illum includi mandat, scriptis ad



28(0) 80

53

ad Senatum literis, quas Macro, prætoris cohortibus præfectus, tulit. Hic, Romam ingressus, mandatum Principis primò omnium Memmio Regulo, tum Consuli, (alter enim Consul Sejano erat addictior) mox Græcino Laconi, vigiliarum præfecto, nondum orto die, aperit. Inde in curiã tendens, quum forte Sejanus, turbatus animo, obviam venisset, rogaretque numquid à Tiberio ad se literarum esset; in aurem illi insuffurat, tribunum, mox salutatum iri. Quo curiam non sine tacitâ lætitiã ingresso, Macro prætorianos abire domum jubet: eam esse Imperatoris voluntatem, literis ostendit: in quibus & donarium illis promittebatur. Abeuntibus prætorianis, quum Laconis cohortem substituisset, ingressus Senatum, literas offert: moxque, non expectata earum lætione, exiens, Laconem diligenter excubare jubet, ne curia Sejanus excitando tumultui erumperet: ipse ad prætorianos se recipit, ne quid molirentur, prohibitus.

XVII. Literæ, quæ tum legebantur, & extensæ longius, quo plus spatii Macro ad providendum necessaria haberet, & miro artificio contextæ erant. Initio aliis de negotiis, nihil de Sejano, memorabatur. Mox perstringebatur idem, sed, quod ajunt, levi brachio. Inde intertextis quibusdam, sequebatur apertior, sed & ea adhuc perfunctoria accusatio. Tandem, post varios de Republicæ negotiis excursus, nominabantur duo Sejanii familiares, in quos animadvertere jussus Senatus, addito simul, ipse ut ille comprehenderetur. Mortis de industria omissa mentio, ut spes relinqueretur accusato purgandi se à criminibus, quæ nec nisi levia objicerentur.

XVIII. Per-



**xviii.** Perlectis literis, multi, qui, in senatum deduxerant illum, quum longè alia, quàm tribunitiam potestatem Sejano dandam, agitari cernerent, assurgere incipiunt, incingentes Sejanum, ne elaberetur. Quod, facturum fuisse, creditur, si literarum initium in illum, asperius mox detonasset. Leuioribus illas perstricti unculas contemnens, loco suo immotus mansit, appellatusque bis terve à Memmio Consule, ut surgeret, vix tandem paruit, dandis scilicet non audiendis mandatis asuetus.

**xix.** Surgentem Laeo primùm sequebatur, mox Regulus, aliis Senatoribus comitatus, è curiâ in carcerem duxit: ubi postea à Senatu ad scalas Gemonias, damnatus fuit.

**xx.** En tibi aulici, cui post hominum ferè memoria calliditate potentiâque vix ullus par fuit exitum: cuius fabrica licet insolidum prudentiâ Tiberii videatur deberi, potiùs tamen potentiâ illius adscribenda est, quæ mole suâ citra etiam tot machinationum ambages opprimendo Sejano suffecerat.

**xxi.** Quod ex Perennii exemplo colligi potest, quem, Sejani artibus ad idem fastigiû grassantem, Commodus, ingenio longè infra Tiberium, subvertit.

**xxii.** Enimverò multos forsan hæc non movent, quia sapere plus aliis, scireque aliquid quod illi, quorum casus referuntur, ignoraverint, videntur sibi. Et sanè fuerunt posterioribus seculis aliqui, quibus minùs infeliciter negotium hoc successit. Qualem Boylam in historia Constantinopolitanâ legimus, qui, in Constantinum Monomachum Imperatorem conjurâsse deprehensus, supplicium, non perinde grave, ut alii tales, subiit, eò quod in Principem mitem placibilemque incidisset.



xxiii. Sed lubet eam historiam breviter heic recitare. Ex qua intelligitur, consilia, etiam secretissima, oculisque mortalium impervia, divino provisu insperatis sæpè modis detegi, nec, quacunq; etiam calliditate tracta, poenam effugere.

xxiv. Boylæ huic ad tantum nefas aptitudinem vel causam futuram, nemo mortalium credidisset. Beneficiorum magnitudo, quibus ornatus erat, summæ fidei spem opinionemque indiderat Principi & aliàs ad magna ingenio ineptus videbatur. Non enim tantum humili loco natus, sed & linguæ tam impeditæ erat, ut ægrè posset intelligi, eamque balbutiem, quum gratam Imperatori videret, post de industria affectabat.

xxv. Ista assentatione se in familiaritatem Principis usq; adeò insinuavit, ut etiam gynæceum & cubiculum Constantini intimū ei pateret. Tandem, diratus à Principe, inque Senatorum numerum allectus, spes suas altius mittere cœpit; eoque progressus est, ut per stragem Principis ad sceptrum ipsum ire cogitaret. Id consilium primùm illis aperit, quos Imperatori infestos sciebat, promittens ingentia approbantibus & operam sociaturis, abnuentes laudans ob benevolentiam erga Principem, cujus exploratorem se simulabat.

xxvi. Ista agitans, omnium conscientiam, nisi quorum non metueret, effugerat: effecissetque teterrimum facinus, nisi ab uno conficiorum proditus, ejusque arte reprehensus fuisset tum, quum gladium, quem in jugulum Principis acuerat, manu teneret. Imperator tantam injuriam tam leniter tulit, ut, quosdam ex conjuratis capitali supplicio, ipsum sceleris ducem exilio affectis se, satis haberet.

H

xxvi I.



Longum esset, huc omnes adducere eos, qui ejusmodi facinora vel suscepisse deprehensi, vel suscipere voluisse, aliquando etiam falso, crediti, naufragium in aulis fecerunt. Sed nos ista attulisse contenti, hoc tantum addimus, superbiam omnem, seu illa principem ambitione, seu jaectantia, exprobratione, maledicentia, splendore, vel nimio comitatu, offendant, viam esse ad exitium.

## CAPUT XXI.

*Apud Principem jaectantia, officiorum exprobratio, libertas, arrogantia, familiaritas nimia, superbia, vanitas, avaritia, perfidia, conjuratio, discordiarum excitatio, singula ex suis exemplis, notata.*

I. Jaectantia & officiorum exprobratio in aula Alexandri Magni Philotam Clytumque perdidere. Iisdemque ventis Craterus etiam abreptus pene fuit. Certè acceptior longè fuisset Principi, si intra generosae limites modestiae substitisset.

II. Ita C. Silius apud Tiberium, Antonius primus apud Vespasianum, Syllas apud Agrippam Regem, officia sua deprædicando, fructu eorum omni se privarunt. De quorum prioribus Tacitus *Annal. 4. & 4. Histor.* de postremo Josephus legatur.

III. Destrui jaectationibus hujusmodi fortunam suam credunt Principes, quam sibi debere se, non virtuti meritisve subjectorum, videri volunt.

IV. Reprehendendi etiam actiones Principum & in alios coram Principe invehendi libertas, ut arrogantia



(0) 50

59

tia vicina, fugienda est. Eumenes de Hephæstione, qui histrionibus aliisque id genus hominibus, diverforia assignaret militibus debita, petulantius coram Alexandro conquestus, offensam Regis incurrit.

V. Cum Principe etiam agere familiarius, aut curarum principalium se solum venditare arbitrum, superbiam sapit; licet ex vanitate atque avaritia etiam proficisci hæc possint. Ubi ex Zotiri apud Heliogabalum quondam gratiosissimi exemplo patet: ex Turini item, qui Zotiro vix pejor, sed infelicior ab Alexandro Mammeæ filio fumo suffocari iussus est, exclamante listore: Fumo puniatur, qui fumum vendidit. Is jactare solitus erat, Principem regi consiliis suis: favoremque venditando, etiam ubi nihil prodesse poterat emptori, magnas opes collegerat.

VI. Sed inprimis digna memoratu Planciani arrogantia: quæ & à vanitate comitabatur, & in perfidiam tandem prorupit. Arrogantiæ tantæ fuit, ut opponere se Bastiano, Imperatoris filio, auctori dignitatis ac fortunæ suæ, non dubitaret. Tam vanus porro, ut, per urbem incedens, non aditum solummodo, sed omnem ferè conspectum sui, aliis præclusum vellet, præeuntibus semper, qui obvios viâ depellerent. Perfidus tandem, in Principem suum, atque conjurationis manifestus, capitis poenam subivit.

VII. Regnante apud Gallos Philippo Bello, Engverrandus Marigny, cum Carolo Valesio adversa veluti fronte dimicare ausus, quàm miserè cum aliis, perierit, ex historiis Gallicis notum est.

VIII. Ante omnia quoque in aulis cavendum est, ne serendis inter Principes discordiis operam commodemus.

H 2

s,  
u-  
i-  
i-  
n-  
li-  
n-  
u-  
ri  
ngs  
ac-  
tes  
nus  
of-  
vâ-  
H-  
fu-  
tuti  
n &  
gan-  
tiz





demus. Illienim, reconciliati inter se, tales plerumque amicitia suamactant. Cujus rei cum multa exempla omnium gentium historia, tum memorabile in primis Othonis Crondorferi est, quod Bavarica suppeditat. Is apud Radulfum Palatinum in flagranti gratia agebat: eidemque Principi autor inimicitiarum cum matre fuit. Rediit postea mater cum filio in gratiam: Crondorferus autem lingua oculisque multatus est.

## CAPUT XXII.

*Benevolentia Principis, eorumque, qui gratia valent apud Principem, quomodo conservanda?*

### I.

**N**ON verò solis Principibus, sed & iis, qui apud Principes gratia potiores sunt nobis, non expedit, ad-  
versari.

**I I.** Consilium id Germanicus moriens Agrippinae dabat. De quo Tacitus. *Tum ad uxorem versus, inquit, Annal. 2. per memoriam sui, per communes liberos oravit, exueret ferociam, seienti fortuna submitteret animum; ne, regressa in urbem, amulatione potentia, validiores irriteret.* Neglectum Agrippinae praeceptum hoc, & ipsam & liberos ejus perdidit. Diximus paullo antea, quam fuerit Eumenis minuta apud Alexandrum gratia, quum, de Hephæstione querendo, irreverentius in Principem se gessisset, & suam in accusatum retexisset invidiam.

**I I I.** Ideò, quum florere quempiam Principis benevolentiam viderimus, sollicitè nostra autoritas, si quae est, velut ad trutinam cum illius est appendenda, ut sci-

amus,



amus, noſtrane, an illius, præponderet. Et in iſto examine non tam ad ſpeciem externam, quàm ad momenta cauſarum interiorum, attendendum eſt.

iv. Craterus & Hephæſtion magnâ & æquali ferè utraq; gratiâ valere apud Alexandrum aliquando viſi ſunt, donec Alexander ipſe diſcrimen faceret; quum alterum amicum Regis, alterum amicum Alexandri appellaret. Ex hac enim voce iudicium facere poterat Craterus, quum Principes voluntati plerumq; ſuæ, quàm dignitati, addiſtiores ſint, cariores ab illis quoq; haberi eos, qui Alexandros, id eſt, ipſos, quàm qui fortunam Regum colunt & adorant. Et, quanquam, orto poſtea inter ipſum & Hephæſtionem diſſidio, per quod tota aula in partes abſceſſerat, Alexander neutri ſe parti addictum oſtenderet, graviter utrumq; objurgans, & pœnam minitans, ſi hanc ſi ſerram in poſterum traherent: in iſta tamen agendi ratione, quâ Alexander uſus eſt, non tam æqualis ipſius erga utrumq; affectio, quàm ſingularis quadam Principibusque imitanda prudentia, eluxit. Discordiam iſtam turbas magnas dare poſſe videbat, neque Crateri mirificam apud Macedonas autoritatem, nec ſuum Hephæſtioni favorem invidioſum ignorabat. Ergo Hephæſtionem minuentem ejus invidiæ, in publico; Craterum, ne Macedones offenderentur, privatim increpat.

v. Inter eos, qui in examine principalis benevolentie negligentiores, ac malè ſubductâ ratione fuerunt, numerari meretur Antonius primus, qui, contendere cum Mutiano auſus, didicit tandem, exitioſius eſſe, hunc, quàm Veſpaſianum ipſum, ſpreviſſe.

vi. Atque, ad hunc modum ipſius miniſtri injuriam, quàm domini, acriùs vindicari, rei eſt ferè omnium



655 656  
 aularum exemplis contestata. Causam indagat Dio,  
 postquam, in Sejano idem contigisse, narrasset.

VI. Quemadmodum illi, quos, inquit, virtus, con-  
 scientia meritorum, ad dignitatem evexit, inania hono-  
 rum, externaque cultus indicia, non multum morantur:  
 ita contra illi, qui per ambitum humo se attollere, sor-  
 desque domesticas oculere, satagunt, ferunt inique, &  
 contemptum illico interpretantur, si quid vel minimi  
 officii neglexeris. Ut adeo difficilius sit, benevolen-  
 tiam talium, quam Principis ipsius, conservare. Hic e-  
 nim, condonare injurias, gloriosum sibi existimat: illi,  
 ne remittere videantur, quod ulcisci nequeant, poten-  
 tiam suam in persequendis inimicis ad ostentationem  
 usque extendunt.

### CAPUT XXIII:

*Superbia sub Principe etiam in inferioris subsellii homines,  
 exemplis notata. Perfidia in Principem, prodens secreta  
 illius, ex monstris compluribus constata.*

#### I.

NEque verò in Magnates tantum, sed sæpè & in in-  
 ferioris subsellii homines insolentius se gessisse, exi-  
 titio fuit. Alvarum de Luna, Rege Arragonio extra  
 conjugium ortum, Johannes, Rex Arragonum adeo  
 adamaverat, ut præcipua rerum, ipsamque dignitatem  
 regiam, ne quicquam adversantibus Proceribus, illi cre-  
 deret. Sed, quum is, ad superbiam secundâ fortunâ  
 prolapsus, hominem nobilem, qui Regis nomine illum  
 officii admonuerat, ex alto præcipitem egisset, regio  
 iustu poenâ capitis adfectus est.

II. Est



II. Est & hæc in aulis non infrequens talis naufragii causa, quum aliquis populo aut primoribus vel se vel Principem exosum reddiderit. Talem enim aut Princeps ipse, ut se invidiam exolvat, abjiciet, aut alii eversum ibunt.

III. Commodus imperante, Cleander pratorias cohortes aliquando in populum Romanum armaverat. Ea res tantum turbarum Romæ dedit, ut Imperator ipse, nisi Cleandrum immolasset iræ populi, securus non esset.

IV. Idem Commodus amore Anteri cujusdam omnium odia incurrerat. Quibus ut dominum suum liberarent ministri Commodi optimè cupientes, Anterum illum aliquando ex aula redeuntem, interemerunt.

V. Eutropius, Arcadio Imperatori inter paucos longo tempore dilectus, quum autor crederetur seditionis à Tribigildo motæ, deditus à Principe inimicis fuit in pacis pretium.

VI. Inter mala aulicos subvertentia duo sunt præterea ut gravissima, sic frequentia admodum. Secretorum Principis proditio, & Conspiratio cum inimicis, scelerata plerumque quidem ex perfidia, sed sæpè etiam ex levitate atque imprudentia ortum ducentia.

VII. Quod ad secreta Principum, optimè sibi consulere illos existimo, qui consilia Principum non rimantur, saltè soli in horum conscientiam adhiberi fugiunt: solus enim si scias, & fama forte, quæ ingeniosa est, ad conjectandum, simile quid sperferit, non effugies suspicionem, quin per te emanasse secretum ille judicet. Ac licet Princeps alteri forte idem aperuerit, fieri potest

est



est tamen, ut id obliviscatur, aut alterius silentio plius  
confidat, sicque nihilominus in te eudetur faba.

VIII. Non sine causa Philippides, Poeta comicus,  
Lysimacho Regi inter primos charus, quum in interrogare  
tur, quarum rerum particeps reddi à Principe suo opta-  
ret; Nihil, quod ab ipso proficisceretur, recusaturum  
respondit, dum ab arcanorum conscientia liber esset.  
Sequamur, quantum fieri potest, exemplum istius, &  
secreta, ut rem difficultis custodiæ, ignorare, quàm sci-  
re, ducamus tutius.

IV. Hiero, Syracusarum Tyrannus, eos, qui arca-  
na Principum revelarent, dicebat injuriosos esse, in se  
& eos, quos secreta conscios voluerint, ut qui istos pariter  
secum odio Principis exponerent.

## CAPUT XXIV.

*Conspirationum cum inimicis Principis, causa,  
genera, exempla.*

### I.

Ceteroqui maxime anceps inter omnes illorum  
fortuna est, qui, seu avaritiâ, seu ambitione, seu ful-  
ciendâ securitatis studio, impulsî, cum inimicis Princi-  
pis, seu externis, seu domesticis, conspirant.

II. Cardinalis Balæus, sartore genitus, à Ludovi-  
co XI. ærario præfectus, inde ad episcopalem, & de-  
nique accurante Rege, faventique insuper Pontifice,  
(ut illigaret sibi, quem adversum hætenus habuerat,)  
ad cardinalitiam dignitatem pervenerat. Postea vero  
cum inimicis conspirasse compertus, turris Lochenfis  
colonus duodecim annos fuit, inde vix tandem illum  
Sixti IV. preces liberarunt.

III. Ob



III. Ob crimen simile similem etiam pœnam, Francisco I. regnante, Pratenſis Cardinalis ſubiit, non liberandus forſan unquam carcere, niſi, ebibens ſubinde urinam ſuam ſtranguriæ ſimulatione medicos ſefelliſſet: veritus enim Rex iram Papæ, ſi iſto malo abſumeretur in carcere Cardinalis, dimiſit illum.

IV. Petrus de Vineis, Friderico II. Imperatori ab intimis conſiliis, conſpirationis cum Alexandro III. Papa, hoſte Imperatoris, ſuſpectus, oculos perdidit.

V. Stiliconi non tantum conſilia occupandi Imperii Orientalis, ſed & occulta cum Alarico, Gothorum Rege, commercia, mortem arceſſiſſe creduntur, quod confirmat illa ignominioſa pax, quam cum eodem Alarico iniiit, nequicquam repugnante Senatu. Lampadius, qui & ipſe reclamaverat, non pacem, ſed pactionem ſervitutis, appellat, quâ tributum Barbaris Imperator pendere cogatur.

## CAPUT XXV.

*Ancipitium Conſiliorum auctore ſit Politicus. Belli ſuſcipiendi, vel rumpendi foederis, conſilia quo pacto inſtituenda?*

*Errorum, ob quos gratiâ Principum exciderunt aulici, quanta varietas?*

### I.

In primis quoque Politico noſtro, quem inſtituimus, cavendum eſt, ne ancipitium conſiliorum ſit autor. Horum enim adverſus exitus, culpæ ſuaſoris, proſper, fortunæ Principis, imputari ſolet non ſolum à vulgo, qui omnia ex eventu iudicat, ſed à Principe ipſo, lætante, ſi habeat, in quem invidiam infelicis conſilii derivet.

II. Superſtite, mortuoque Stilicone, unum publicarum quiritationum argumentum erat, pax ab ipſo cum Gothiſ

### I



Gothis inſta. Olympius, qui ruinam Stiliconis procuraverat, ad famam per contraria nitens, rupit pacis ſecus. Alarico fruſtra jus & æquum objectante. Bello aliquamdiu adverſis avibus geſto, idem, omnium malorum autor judicio vulgi habitus, tandemque ab Eunuchis, validis apud Imperatorem gratia, accuſatus, curia relicta in Dalmatiam profugit.

III. Quum de bello ſuſcipiendo, vel rumpendo ſedere, agitur, miniſtri partes ſunt, argumenta in utramque partem afferre ſolum, relicto eligendi, quod libuerit, Principi arbitrio. Si tamen ſententiam dicere urgeatur, tutius fuerit, ad pacem inclinare, niſi neceſſitas ipſa, aut aperta utilitas, aliud ſuadeat.

IV. Prudenter id ſecutus eſt Jovius, Olympii, de quo diximus, ſucceſſor. Is enim, quamvis ad bellum pronior, ut magis eſſet Principi neceſſarius, pacis tamen amorem more politicis nonnullis uſitato præferebat. Congreſſus Reminenſi urbe colloqui cauſa cum Alarico, conditiones, quas Alaricus proponeret, Honorio mittit, ſeroſim aliis literis ſuadeas, ut regimen exercituum Alarico offerret, quo æquior ad cætera fieret. Imperator, è re ſua eſſe negans, externo, & hactenus hoſti, robur Imperii committere, in tributa potiùs conſenſurum ſe reſpondet.

V. Has literas quum Jovius Alarico prælegiſſet, hic ſe ſuosque ab Honorio contemni indignatus, abruptim inceptam pactionis telam: Jovius redit ad Honorium, qui & ipſe inſolentiâ hoſtis offenſus, jurat, nolle ſe pacem cum Alarico: eodemque Sacramento ſuos omnes obſtringit. Ita Jovius eadem aſtutiâ & ruptarum induciarum invidiam à ſe removit, & Alaricum teſtificatione voluntaris, quâ tribunum Cæſaris exercituum fieri voluiſſet, ſibi devinxit, Honorium verò bello implicuit, quod auctoritatem Jovii, potentiamque mirum in modum ſtabilivit.

VI. Ez.



vi. Errorum, ob quos gratiâ Principum exciderunt aulici, in historiis tanta varietas est, ut nemo ullâ diligentiâ omnes ita colligere possit, quin, quum plurimos dixerit, plures tamen omisisse videatur. Quapropter, principalioribus tantum delibatis, reliquos industria ac prudentiâ cujusque relinquemus.

CAPUT XXVI.

*Quibus dolis aulicus à malevolis prematur. Primus ut aulâ vel exeat ipse sub quodam pretextu, vel amoveatur speciosè. De iis, qui eadem arte ex provinciis revocantur.*

I.

Quomodo suâ culpâ aulicus excidat gratiâ Principis, vidimus. Jam ostendemus modos, quibus eundem inimici, invidi, æmulive, premere possunt. Sunt autem hi triplices fermè: vel enim amoliri illum ab aulâ, quæsito pretextu non inhonorifico, conabuntur: vel domino suspectum invisumque reddent: vel denique vi apertâ Principem ad talem removendum subigent.

Ir. Amolitionis, quem modum diximus esse primum, ut viæ variæ, ita fines diversi sunt. Quidam enim, specie honoris, aut occasione cum propinquis vivendi, inducuntur, ut non ingratis ab aulâ discedant. Quâ viâ, Manuale Commeno imperante, callidè usus est Styppiota, ad Hagiotheodoritam, luminibus suis obstantem, amovendum. Orto enim dissidio inter Michaëlem pedagogum & Josephum Balsamonem, Styppiota Imperatori persuadet, Hagiotheodoritam, Balsamonis affinem, si Pelopponeso rector daretur, compositurum litum. Hagiotheodorita studio juvandi affinem latus, incipit munus, nihil pensi habens Styppiotam solum iterim,





terim, æmulo remoto, munia Imperii tractaturum, id quod factum.

III. Quidam, rixis inimicorum in aulâ agitati, ut quieti suæ consulant, provinciam qualemcunque prætexendo discessui arripiunt. Quemadmodum Agrippa, qui, Vellejo teste, sub specie ministeriorum principatum profectus in Asiam, ob tacitas, ut fama loquebatur, cum Marcello offensiones, præsentis temporis se subduxit.

IV. Tiberius, superstite Cajo Cæsare, ipsi infesto, Rhodum secessit, studium literarum simulans: & per matrem (Suetonii verba sunt) consecutus est, ut, ad velandam ignominiam, quasi legatus ab Augusto iret.

V. Si prætextus absit, quo is, quem remotum cupias discessum sponte quarat, ac pro beneficio reputet; persuadebitur Princeps, ut muneri illum alicui præficiat, eo nomine, quod à nemine dignius administrari possit.

VI. Ad eundem modum si quem apud Provinciales autoritate vigentem, eâdem exuere æmuli quarunt, eum in aulam ex Provincia pertrahere ut necessarium Principi, atque immiscere laborant turbæ aulicorum splendorem ejus inumbraturæ.

VII. Hoc artificium apud Polybium Apelles usus, quando Taurionem administratione Peloponnesi exutum ibat. Ita Darius, de consilio Megabyzi, Hystemum ex Jonibus revocat, non quod præsentia illius opus esset, sed ut potentiam ejus infringeret.

VIII. Si aulici hi, amolitione alterius sibi ampliorem parare locum contenti essent, nec ultrâ irent, aliarum longè pejorum comparatio hanc artem tolerabilem redderet. Verùm heic plerique non subsistunt.

IX. Constantio imperante, Sylvanus, pædestris militiz



SSO O SSO  
 tia rector, ut Ammianus Marcellinus autor est, Arbetione procurante, in Galliam mittitur, ad corrigenda mala quæ Gallis à barbaris inferebantur; Ille eò profectus, quum gratus Gallis, atque inde opibus potens esset, fruente mox Arbetione invidiam apud Imperatorem, tandem exitium subiit.

x. Eadem propè fortuna fuit Ursicini, sub eodem Imperatore equestri militiæ præfecti. Conjuraverat in ejus perniciem cum aliis nonnullis aulicorum Eusebius quidam, Eynuchus. His machinatoribus ille, ut longius aula abesset, in Persiæ fines mittitur. Ubi decennium moratus, Successorem accipit Sabinianum, nec ingenio, nec experientia parem muneri, mox, orto rumore, parari à Persis bellum, idem subsistere ibi jubetur, potestate jam alteri tradita; studio rem ita digerente Eusebio, ut secundam in Persas fortunam Sabinianus sibi vendicaret, adversa Ursicino imputaretur. Quod & eventus post approbavit. Dejectus enim ob culpam alienam Ursicinus in privato, quod reliquum vitæ habuit, transiit.

xi. Constantii illius tempora aliud etiamnum exemplum suppeditant. Ruffinus enim patruus Galli, prætoris cohortibus præfectus, ad sedandam militum seditio nem missus non alia mente fuit, quàm, ut inter infestas insanientium manus periret. Eodemque sine Clytus ab Alexandro in Sogdianos ire se jussu querebatur.

## CAPUT XXVII.

*Secundus; Ad suspectos invidiosque faciendum alios  
 Principi, calumnia adhibentur, laudesque.  
 De calumniis, Exempla.*

I 3

Hæc



**H**æc de amolitione, primo modorum, quibus inimici, invidi, æmulique ad alios gratiâ Principis exuendos utuntur. Secundus est, quo suspectos in visosque Principi reddunt; calumniæ vel laudes.

II. In calumniis ad duo attendendum. Primum. An idoneæ & sufficientes sint ad murandam Principis voluntatem? Secundum; An similes verò? De primo iudicium est faciendum tum ex statu rerum præsentium, tum ex genio & inclinatione Principis, ipsaque natura negotiorum.

III. Nulla calumnia plures magnos viros subvertit, quàm quæ vel machinationum in Principem & ejus Imperium, vel contemptus ac dedignationis parendi, vel maledicentiæ & irrisionis, alios insimulat.

IV. Versimiles redduntur caluniæ dictis factisque insolentibus tum ipsorum, qui rei aguntur, tum fervorum, amicorum, cognatorumque: literis item subditiis; iudicio denique Principis, calumniatori nimis credulo, aut contra iniquiore in accusatum, si hunc jam ante suspectum habuerit.

V. Illa, quæ in crimen rapiuntur à calumnia, vel sponte egit aut dixit is qui traducitur: vel inductus inimicorum ad vocat malitia, occasionibus & curiosè imminens & arte fabre sciens uti.

VI. Sunt, qui alium ad aliquid faciendum adhortati, ubi paruerit, id ipsum telum faciant accusationis, sava Principi molitum, affingentes.

VII. Basilio, Constantinopolitano Imperatori, magus quidam monachus, Santabarinus nomine, præter

carere



ceteros diligebatur; invisusidem supra modum filio  
Imperatoris Leoni. Hunc ille evertere tendens simula-  
tis obsequiis eò usque affectatur, donec meliorem affe-  
ctum eblanditus, credulitati juvenis imponeret. Fide  
etenim sic sibi præstructa, monere adgreditur Leonem,  
pugionem ad sese defendendum sub veste occultum ge-  
reret, si quando venatum procederet cum patre. Illo  
obtemperante, magus patrem mox adoritur, filium cogi-  
tati parricidii occultè insimulans. Indicium desert pu-  
gionem, quem ille, occasionem speculans, circumferat.  
Quid multa? Eò res deducta, ut filius in carcerem com-  
pingeretur, ac, quamvis procerum intensissimis prote-  
ctus precibus, agrè tamen capitis supplicium effugeret.

VIII. Valentiniano imperante Aëtius Bonifacium,  
comitem, qui Imperatori percatus, Africaeque rector  
impositus erat, apud Placidiam, matrem Principis per-  
fidiae, & quod Africam sibi subjicere mente agitare,  
accusat, suadens simul, ut properè inde revocaretur. E-  
odem tempore per literas Bonifacium monet, accusatum  
ipsum in aulâ, eâque causâ revocari: caveret tamen re-  
dire, si salutis suae vellet consultum. Bonifacius his fi-  
dem habens adeò Augustae, ipsum revocanti non paruit,  
ut Gontarum, Validulorum Regem, & Gensericum,  
hujus filium, in Hispania tum rerum potentes, (vim op-  
positurus parantibus reducere) accesserit; qui hac oc-  
casione Mauritaniam tunc occuparunt. Dolo postea re-  
fecto, quò certior res esset, visum est illos duello com-  
mittere. In quo Aëtius superatus cedere aulâ jussus est.

IX. Non dissimilis huic est Samonæ versutia. Qui,  
Leoni, Basilii Imperatoris filio, ob detectam Basilii, Zoë  
Imperatricis cognati, conjurationem, adamat, quum  
Andronicum, adversus Saracenos dilectum ducem per-  
ditum



ditum iret, eum per amicum admoneri jubet, caveret  
sibi ab Hymerio, qui illum oculis veniret privatum. Er-  
rat enim coxculatio supplicii genus in Principes viros,  
quarum potentia nimium excrevisset, adhiberi solitum.  
Andronicus, vera hæc esse credens, quæ à Samona con-  
victa erant secessione facta ab Hymerio, castellum quod-  
dam occupat. Factum id exaggerare, apud Imperato-  
rem non omisit Samonas: eoque autore missus est exerci-  
tus, qui Andronicum, desperatione ad Saracenos actum,  
finibus Imperii ejecit.

x. Fecimus paulò ante Arbetionis mentionem. Is  
quomodo dolo dolum superaddiderit, res annotatione  
digna videtur. Quum infensum Constantium Sylva-  
no videret, metusque esset, ne hic, Romam veniens, ob-  
jecta crimina dilueret, literas Imperatoris, Sylvanum ad  
se vocantis, Apodemio cuidam committi curat. Qui,  
Gallias ingressus, suppressis literis, extrema ipsi immi-  
nere, narrat. Hinc in seditionem ut incolumitatis suæ  
remedium motus Sylvanus, calumniam imprudens as-  
seruit.

xi. Enimverò nimis diu de Sejano siluimus. Cui,  
mirè in omnibus versuto, nec isthæc, de qua agimus,  
ars inusitata fuit. Ut Agrippinam Tiberio redderet su-  
spectiorem, amicos subornat, qui spes ejus ultra licita in-  
flarent. Proximi quoque illiciebantur ad tumidos A-  
grippinæ spiritus pravis sermonibus stimulandos. Ipso  
deinde machinatore sobrina Agrippinæ, Claudia Pul-  
chra, postulatur: quo, injuriam hanc apud Tiberium  
questi, atrox & animi ægritudini malè temperans mu-  
lier tanto vehementius suspicacem Imperatoris animum  
perstringeret.

xii. His



XII. His non contentus Sejanus, moerentem & improvidam altiùs percellit, immissis, qui per speciem amicitiae moneant, paratum ei venenum, vitandas foeneri Tiberii epulas. Illa, malè credula, quum, tradente Tiberio pomum, abstinuisset manum, gravissimè Caesarem offendit.

XIII. Ab eodem, quum Agrippinae liberisque ejus jam additus esset explorator miles, subornabantur, qui moneant ad Germaniae exercitus perfugeret, vel celeberrimo foro effigiem divi Augusti amplecteretur, populumque ac Senatùs auxilium invocaret.

XIV. Sed eandem foeminam, quo malae ambitionis structurarumque Tiberio insidiarum suspectam redderet, clientem ejus Titium Sabinum abominabili techna circumvenit. Quam rem, uti gesta est, placet hinc verbis Cornelii Taciti subjicere: Junio Silano & Silio Nervà Caesari foedum anni principium incessit, tracto in carcerem illustri equite Romano Titio Sabino ob amicitiam Germanici. Neque enim omiserat conjugem liberosque ejus percolere, seclator domi, comes in publico, post totos clientes unus: eoque apud bonos laudatus, & gravis iniquis. Hunc Latinius Latiaris, Porcius Cato, Petiti Rufus, M. Opsius praeturae functi adgrediuntur cupidine consulatus; ad quem non nisi per Sejanum aditus, neque Sejani voluntas nisi scelere quaerebatur. Compositum inter ipsos, ut Latiaris, qui modico usu Sabinum contingebat, strueret dolum, caeteri testes adessent; deinde accusationem inciperent. Igitur Latiaris jacere fortuitos primum sermones, mox laudare constantiam, quod non, ut caeteri, florentis domus amicus, afflictam deseruisset: simul honora de Germanico, Agrippinam

K

mi-



miserans diserebat. Et postquam Sabinus, ut sunt molles in calamitate mortalium animi, effudit lacrymas, junxit questus, audentius jam onerat Sejanum, sæviciam, superbiam, spes ejus. Ne in Tiberium quidem convivio abstinet. Iique sermones, tanquam vetita miscuissent, speciem arctæ amicitiae facere. Ac jam ultrò Sabinus querere Latiarem, ventitare domum, dolores suos quasi ad fidissimum deferre. Consultant quos memoravi, quonam modo ea plurimum auditu acciperentur. Nam loco, in quem coibatur, servanda solitudinis facies; & si ponè fores adsisterent, metus, visus, sonitus aut fortè ortæ suspicionis erat. Tectum inter & laquearia tres Senarores haud minus turpi latebrâ, quàm detestandâ fraude sese abstrudunt: foraminibus & rimis aurem admovent. Interea Latiaris repertum in publico Sabinum velut recens cognita narraturus, domum & in cubiculum trahit; præteritaq; & instantia, quorum affatim copia, ac novos terrores cumulat. Eadem ille & diutius; quando moesta, ubi semel prorupère, difficilius reticentur. Properata inde accusatio, missisque ad Cæsarem literis ordinem fraudis, suumque ipsi dedecus narravère. Non aliàs magis anxia & pavens civitas, etiam adversum proximos. Congressus, colloquia, notæ ignotæque aures vitari: etiam mura atque inanimata, tectum & parietes circumspiciantur. Sed Cæsar solennia incipientis anni Kalend. Januarias, epistolâ precatus, vertit in Sabinum, corruptos quosdam libertorum, & petitum se arguens, ultionemque haud obsecrè poscebat. Nec mora quin decerneretur, & traheretur damnatus, quantum obductâ veste & adstrictis faucibus niti poterat, clamitans, *sic inchoari annum*, *his* *Se.*



Sejano victimas cadere. Quò intendisset oculos, quo verba acciderent, fuga, vastitas: deferi itinera, fora: & quidam regrediebantur, ostentabantque se rursus, id ipsum paventes, quod timuissent. Quem enim diem vacuum poenà, ubi inter sacra & vota, quo tempore verbis etiam profanis abstineri mos esset, vincla & laqueus inducantur? non imprudentem Tiberium tantam invidiam adirse: quæsritum meditatumque, ne quid impedire crederetur, quò minus novi magistratus, quo modo delubra & altaria, sic carcerem recludant. Securæ insuper literæ, gates agentes quod hominem infensum Reipublicæ punivissent.

## CAPUT XXVIII.

*Prodicionum, falsarum literarum, testiumq; exempla.*

### I.

NON possum, quin aliud etiam ex eodem Cornelio exemplum addam. Firmius Catus, Senator, ex inimicâ Libonis amicitia, juvenem improvidum, & facilem imaginibus, ad Chaldeorum promissa, Magorum sacra, somniorum etiam interpretes impulit, dum proavum Pompejum, amitam Scriboniam, quæ quondam Augusti conjux fuerat, consobrinos Casares, plenam imaginibus domum, ostentat: hortaturque ad luxum & as alienum, socius libidinum & necessitatum; quo pluribus indicis inligaret. Ut satis testium, & qui servi eadem noscerent, reperit, aditum ad Principem postulat; demonstrato crimine & reo per Flaccum Vescularium, equitem Romanum, cui propior cum Tiberio usus erat. Ut porro à Tiberio acceptus Libo, & accrescentibus subinde aliis accusationibus, ad mortem tandem voluntariam adactus sit, fuse narrat Historicus, ad quem

K 2

able-



ablegare lectorem malo, quam compendii lineas egredi. Locus est in *secundo Annalium 9. cap. 27.*

II. Styppiota, cujus in amoliendo Hagiotheodori-  
tâ dolum ante (cap. 26. n. 2.) retuli, effugere non po-  
tuit, quin simili ferè quo Sabinus Romanus, modo cir-  
cumveniretur. Structor fraudis Camaterus Logotheta  
fuit. Qui, Styppiota inimicus, coram Imperatore eum  
incedebat, ut impostorem, & Siciliam prodere animo  
agitantem. Atque, ut veri species adesset calumniæ, Im-  
peratorem certâ cubiculi parte occultit; eoque audiente;  
cum Styppiota, quem de industria invitaverat, sermo-  
nem de Siciliæ rebus orditur. Ubi non pauca excidere  
Styppiota, Cæsari adversa aut ingrata. Nondum con-  
tentus Camaterus, literas fictas schediis Styppiota  
misceri jubet, quibus jussu Imperatoris excussis, dama-  
tus Styppiota, oculisque privatus est.

III. Ista narratio ansam nobis præbet, accedendi ad  
alterum modum, quo calumnias diximus verò similes  
reddi, qui in literarum fictarum suppositione consistit.  
Fraus equidem plerumq; patescere tandem solita; ma-  
gnarum nihilominus virium ad suspensiones animo Prin-  
cipis imprimendas altissimas, alienandamque volunta-  
tè se negotiis subduxere, vel, facinora post calumniam de-  
mum aggressi, hanc astruxerunt. Quod paulò ante Syl-  
vani exemplo comprobatum est cap. xxvii. n. 10.

IV. Non debile etiam calumniarum firmamentum  
est falforum testium perfidia. Quibus in primis opus hæ-  
bit ii, qui crimina lætæ majestatis vel prodicionis obji-  
ciunt: domestici autem hæc quàm plurimum valent.

V. Arcadio regnante, Eutropius, Timasio, veteris mi-  
litiæ



litæ & spectatæ autoritatis viro, insidians, clientem ejus, vel potius intimæ admissionis familiarem, Bargum, blanditiis donisque corrumpit, ut affectati Imperii Timasium accusaret. Fidem accusatori sceneravit Bargi cum Timasio conjunctio tam arcta, ut minime crimen adeo bene merito, nisi certissimum esset, crederetur intentatura.

VI. Additæ insuper ad probationem sceleris literæ adsimulatæ. Hoc pacto innocentissimus vir unâ cum filio in Insulam Oasin projectus est, unde neuter rediit.

VII. C. Petronius apud Neronem scientiâ voluptatum Tigellino potior videbatur. Unde hic invidiâ suffusus, mox æmulo amicitiam Scevini (qui in Neronem conspirasse compertus erat) objectabat, corrupto ad indicium servo accusati.

## CAPUT XXIX.

*Calumniarum firmamenta, Principis erga utramque partem affectus, fictæque amicitia sub occultâ insectatione*

### I.

Diximus ante, ad firmandas calumnias multùm facere affectum Principis erga calumniatorem. Hinc Sejanus Agrippinam, Germanici viduam, Livix Augustæ suspectam reddere nitens, Julium Postumum ad id delegit: per adulterium, ait Tacitus, Mutilia Prisca inter intimos Livie & consiliis suis peridoneum; quia Prisca in animo Augustæ valida erat, *Annal. 4, cap. 12.*

II. Compendiosius autem calumniarum procedunt, fraudes, si is, in quem calumniæ jaciuntur, Principi jam ante aliquatenus suspectus est. Tum enim calumniator

K 3 non



non solummodo premere alterum, sed se quoque ipsum provehere potest.

III. A. Vitellii familiares Junium Blæsum non ante aggrediuntur, quàm senescere Vitellii erga illum viderent benevolentiam: voroque potiuntur eo facilius, quod Vitellii frater Lucius operam calumniæ suam commoderet. Lib. 3. hist.

IV. Gracchus, ex liberis Cæsaris, & ut Tacitus Annal. 13, inquit, usu & senectâ à Tiberio usque domum Principum edoctus, conservandæ sibi principalis gratiæ remedium optimum putat, Cornelium Syllam, quem, pridem Nero suspectabat, accusasse. Eademque arte adversus eundem Syllam & Plautum Tigellinus postea utitur. De quo ita Tacitus Annal. 14. cap. 57. *Validior in dies Tigellinus & malas artes, quibus solis pollebat, gratiores ratus, si Principem societate scelerum obstringeret, metus ejus rimatur. Conperitque, Plautum & Syllam maxime timeri, Plautum in Asiam, Syllam in Galliam, Narbonensem, nuper amotos; nobilitatem eorum, & propinquo, huic Orientis, illi Germania exercitus commemorat. Post pauca: Syllam in opem, unde præcipuam audaciam, & simulatorem segnitia, dum temeritati locum reperiret: Plautum, magnis opibus, ne fingere quidem cupidinem otii.*

V. Ursicinum ab Eusebio eunucho coram Constantio jam ante ob propinquitatem Galli ipsi infenso, supra accusatum diximus; non annotato tamen causæ eventu, qui talis fuit. Trepidante accusatore, quod argumenta, quibus probaretur crimen, deficerent, Eusebius, aliam comminiscens dolum, ampliari reum jubet: Manente ita re indecisa, primò Ursicinum, quem libe-



liberare ab discrimine iudicii videbatur, devincit sibi:  
 simul tamen eundem ab aula, id quod præcipuè spectaverat, amolitur, speciem amicitiae præferens, cæterum apud Principem occultè insectans eundem.

### CAPUT XXX.

*Calumniatorum ars; & calumniandi modi præcipui; accusare alium de dicto, quod in se verum est, sed fœdum, & ab accusato non dictum; & specie referendi aliorum dicta, Imperatoribus flagitia impunè exprobrare.*

#### I.

Um quis maledixisse Principi accusatur, quò plus maledicta ex vero trahunt, hoc facilius, fidem accusatio inveniet.

II. Id quod in exemplo Granii Marcelli satis apparet. *Quem, ut Tacitus ait, Annal. lib. I. Cæpio Crispinus insimulabat, sinistros de Tiberio sermones habuisse, inevitabile crimen, quum ex moribus Principis fœdisima quæque deligeret accusator, objectaretque reo, nam quia vera erant, etiam dicta credebantur.*

III. Hoc exemplum secuti plerique calumniatorum, Imperatoribus flagitia eorum, specie referendi aliorum dicta, impunè exprobrabant. Id quod penè solum illos movere debebat, quo calumniantibus autem parcius præberent.

IV. Et Tiberius quidem, ut exprobrationum osor, sic amator calumniarum, ne illas præsens in Senatu audiret, nec hæ omitterentur, Capreas secessit, vitandos credens, ut ait Historicus, patrum cœtus, vocesque, quæ plerumque veræ & graves coràm ingerebantur Annal. lib. 4.

v.Ra-



v. Ratione illâ, exprobrandi Principibus scelera sita, utuntur etiam illi, qui, traduentes per convitia martiridium Neronis, alios de eodem coram autore Cæsare accusant, magis vituperandi sceleris, quàm perdendi accusati studio.

v i. Hi sunt usitatiores modi, quibus calumniatores utuntur. Nam omnes, quis enumeret? Monstrum est calumnia, cui mille figuræ, mille nocendi artes.

## CAPUT XXXI.

*Laudum aulicarum technæ. Aulici larvati. Voluntas interna laudantium calumniantiumve inspicienda. Modus tertius, quibus ab aulicis opprimitur aulicus, vis nempe.*

### I.

**A** Calumniis ad laudes accedamus. Quarum itidem, uti diximus, ad opprimendos alios in aulâ usus est. Plurimi his odia, invidiam, æmulationemque, palliant, quò fallant facilius.

i i. Ita Fabius Valens Mantium Valentem secretis criminationibus infamat, ignarum, & quo incautiùs deciperetur palàm laudatum. Tacit. i. histor.

ii. Ita Arbetio Ursicinum immensæ benignitatis illecebris impugnabat, eamque virum fortem pro palàm sæpè appellabat, ad innectendum lethaliùs insidiis virum simplicem perquam callidus, & eâ tempestate nimium potens. Ammian. Marcellin. lib. 15.

iv. Alfonso, Arragoniæ Rex quodam alium præter solitum coram sese laudante, ad amicum conversus. Iste, inquit, exitium haud dubie ei, quem laudat, meditat. Nec sefellit Regè sententia, Sexto enim mense post laudatoris



quem tam ambitiosè extulerat, in jus vocavit, evertisset-  
que, nisi Rex intercessisset.

v. Mucianus Antonium Primum, quem propalàm op-  
primere nequibat, multis in Senatu laudibus cumula-  
tum secretis promissis onerat, citeriorem Hispaniam o-  
stentans discessu Cluvii Rufi vacuam; simul amicis ejus  
tribunatus prefecturasque largitur. Dein, postquam in-  
anem animum spe & cupidine impleverat, vires abolet,  
demissâ in hyberna legione septimâ, cujus flagrantissi-  
mus in Antonium amor Tacit. lib. 4. histor.

vi. Neque verò aulici modò, sed Principes etiam  
ipsi, dum alios diminutos cupiunt, hanc viam insistant.  
Tiberius Libonem (quem secretò suspectum in visumq;  
habebat) præturâ ornat, convictibus adhibet, non vultu  
alienatus, non verbis commotior (adeò iram condide-  
rat) Tacit. l. 2. Annal. Eodem artificio Sejanum evertit  
idem. Domitianus nunquam metuendus magis erat,  
quàm, quum vultu clementiam præferret. Andronici  
laudationes, initia injuriæ; liberalitatem, indicium pu-  
blicationis bonorum; lenitatem, mortis prodromum  
Nicetas vocat.

vii. Alii laudatione alterius id quærunt; ut Principem  
invidiâ accendant. Eâ ratione apud Domitianum Julius  
Agricola premebatur. Unde Tacitus in Agricolâ de eo.  
*Causa periculi, non crimen ullum, aut querela læsi cujus-  
quam; sed insensus virtutibus princeps, & gloria viri, ac pes-  
simum inimicorum genus, laudantes.*

viii. Juliani Imperatoris extat dictum: *Nullos esse  
capitales hostes, quàm larvatos aulicos: quales Poly-  
bius & post eum Mamertinus, describit: quorum hic in  
Panegyrico; Callido, inquit, artificio accusatoriam dicacita-  
scm*

L





*tem laudum titulis peragebant in omnibus conventiculis, quasi per benevolentiam.*

ix. Sed quibusdam istas etiam laudationes tum usurpatas cernimus, quum comendando unum, alterum, ceu dissimilem, coarguere, notareque cuperent. Malignitatem ejusmodi Herodoto Plutarchus objicit, quum ab eo Athenienses, Persarum arma fortiter retundentes, laudatos dicit, non extollendi studio Athenienses, sed ceteros vituperandi.

x. Regibus, Seneca teste, ministros defunctos mortuos laudare mos est, ut vivis pudorem suffundant. Ita Augustus fida obsequia Meccenatis & Agrippae efferebat, quum filiarum libidinibus propalatis, familiares suos reprehendere vellet, ut negotiorum famaeque Principis parum curiosos.

xi. Idem Augustus laudando excusandoque Tiberium suggillat. De quo Tacitus Annal. lib. i. *Augustus, paucis ante annis quum Tiberio tribuniciam potestatem a patribus rursum postularet, quanquam honoris oratione, quadam de habitu, cultuque, & institutis eius jecerat, quae velut excusando exprobraret.*

xii. Ista ergo monere nos debent, ut interiores tam laudantium nos, quam calumniantium voluntates introspicere conemur.

xiii. Ultimum inter modos, quibus ab inimicis opprimuntur aulici, Vim esse diximus, cui tunc praecipue locus est, quando dignitate vel moribus alicujus offensus populus, vel milites seditionem parant.

xiv. Noti sunt Parisiensium tumultus, quibus, capto ab Anglis Joanne Rege, efferbuit populus; nota fortuna illorum, qui, filio patris Joannis locum tenente, praecipua munia gerebant.

xv. Pau-



xv. Paucis ab hinc annis Janiziariorum seditiones Imperatoribus Turcicis præcipuæ autoritatis ministros eripuerunt. Ex historiis antiquioribus tempora Imperatoris Arcadii aliquot exempla suppeditant. Principi illi continuus & inter primos carus Ruffinus erat. Cui Stilico offensus, & exitium meditans, mittit cum copiis Gainam, quasi auxiliaturum Imperatori, re verâ vitam Ruffino erepturum. Quod & factum. Progresso enim ad exercitum Ruffino, milites Gainæ, dato signo coorti, Ruffinum circumdant & discerpunt. Suffecto in locum Ruffini Eutropio, quum perinde primores aulæ offensusset, eodem Gainâ machinatore Tribigildus seditionem movet. Qui Asiam pervolitans, spoliansque, alio pretio pacem inire negat, quàm ut Eutropius tolleretur. Quam in legem tandem, Gainâ aurigante, Imperator consensit. Nec hoc satis. Idem Gainas, aperte postea Tribigildo junctus, ut reconciliari se Arcadio pateretur, Aurelianum Salurnium, & Joannem Chrysoftomum, in rebus gerendis tunc præcipuos viros, arbitrio dedi suo postulat. Deditos pelli in exilium iussit; illis aciem gladii sui explorandam dedisse, contentus.

### CAPVT XXXII.

*Nonnunquam crudelis Principis ingenium, invidens bene merentibus, inter causas est, cur Aulicus gratia excidat Principis. Hæc invidentia quæ tractanda?*

1.

Soepenumero Aulicus quantumvis aliis se præsidii suffulserint, ruinam tamen inevitabilem reddit ipsum Principis ingenium. Leve scilicet, vanum, diffidens, invidum, avarum, crudele aut timidum. Hi morbi, ceu

L 2 natu-



natura insiti, prudentissimorum etiam hominum circum-  
 spectionem omnem plerumque eludunt. Seneca, apud Nero-  
 nem plurimum libertati, quam servitio propior, tamen pru-  
 dens, & aulicarum artium non incallidus, ad extremum  
 malitiae ingenii Principis velut victus cessit. Facundia  
 primum opibusque invidiam incurrit, mox, accedenti-  
 bus calumniis, gratia Principis & vita tandem exutus fuit.

II. Fuit nonnullis diffidentia Principum, & invidia  
 adeo formidabilis, ut vel cum damno eorum imminui,  
 quam cum invidia rem bene agere maluerint.

III. P. Ventidius M. Antonii invidentiam veritus, cu-  
 jus auspiciis bellum gerebat, Parthos tribus praeliis ad Me-  
 diam usque repulisse contentus, victoriam persequi noluit.

IV. Idem à Bellisario, imperante Justiniano, factum  
 Agathias dicit, quum perinde metueret, ne magnitu-  
 do victoriae, applaususque populi, odia procerum, & mox  
 Principis, excitarent.

V. Hi quidem tales non recte Principis utilitati vel  
 honori sue consulunt, sed culpa tamen non tam in ipsis,  
 quam in dominante est. Et isthanc ob rem Meccenas  
 suadet Augusto, ne sinistra eventuum ministris imputet,  
 nec prospera invidet. *Nam, inquit, multi eorum, qui  
 rem publicam tractant, invideri à Principe metuentes, negli-  
 gentius egere, gloria periculum quam securitatis malentes.*

VI. Magis interim illorum ratio probatur mihi, qui,  
 invidiae effugiendae causa, quicquid magnorum facinor-  
 rum ediderint, Principis, quantumvis absentis, gloriae  
 adsignant.

VII. Agrippa, gener Augusti, magna adgredi, per-  
 acta Principi tribuere suadet, factitare id ipse semper  
 solitus. Ita Joab, Rabbatham obsidens, quum posset, ex-  
 pugnare noluit, prius quam David ipse adventasset.

Cra



Craterus quoque, quum bellum cum Artacenâ componendum esset, Alexandri præsentiam præstolatur. Julius Agricola, ut memorat Tacitus, *nunquam in suam famam gestis exultavit, ad autorem & ducem, ut minister, fortunam referens.*

viii. Invidentia, æmulatioque ista, (nam cætera diversa, effectu hæc similes sunt) licet morbi, Principibus, etiam generosissimis, (qualis Philippus & Alexander) familiares, alios tamen præ aliis efficacius afflant.

ix. Theodosius II. eo vocabulo Imperator, marium curam, quæ Constantinopolim alluerent, muro jungendorum, Cyro delegaverat. Quod ille opus quum sexaginta diebus effectum dedisset, celeritas hæc adeo grata fuit populo, ut clamaretur undique, structam à Constantino urbem, à Cyro renovatam. Id Imperatori auditum tantam invidiam excitavit, ut Cyrus illam expiare indutâ cucullâ necesse haberet.

x. Cui cum talibus ingeniis negotium est, is per ignes cineri doloso suppositos ire se existimet: ac proinde magnâ diligentia inclinationes eorum explorabit, ut vel adversum illas tueri se possit, vel, si secus cadat res, conscientia saltem non omisso officii fruatur.

CAPVT XXXIII.

*De gratia obtinenda & munere retinendo apud Principis successorem. Calumniatorum, hæc loci obstantium nobis, generatim, eosque reprimendi dexteritas. Amicus in aulâ verus, rara avis.*

I.

Inter felices, ac fortunæ veluti pullos, habetur ille meritò, cujus autoritas apud Principis, à quo initium habuit, successorem eodem in fastigio mansit. Rarum id in aulis:

L 3

aulis:





aulis, eò quod suspectus plerumque dominantibus, qui proximus destinatur, adeoque cum huic, qui negotia Principis tractant, sæpè adversari cogantur, internecionis sæpè hinc odiis semen succrescit.

II. Absque hoc etiam habet successor Principis plerumque suos longà officiorum fide sibi cognitos ministros. Quibus ut aditum faciat ad dignitates, clientes decessoris vel sponte suâ, vel suasu succedere cupientium, dejiciet.

III. Sunt tamen nonnulli, quos vel ratio negotiorum, quibus exequendis aptiores sunt aliis, vel officium quælecunque, eò usque insinuat successori Principi, ut decedente Principe priore nihil præter ipsum amittant.

IV. Macro, ut sibi Caligulæ pararet gratiam, uxorem Enniam immittit, quæ amore juvenem illiceret, patetque matrimonio vinciret. Idem Tiberium morientem opprimi multæ vestis injectu jubet. Tacit. lib. 6. Arbetionem Julianus Imperator, quanquam superbiâ turbidoque ingenio invisum, necessarium tamen credens retinuit. Eundemque post Valentinianus accipit, ut Procopio opponeret.

V. Ostendimus hætenus, quæ vitanda sint aulico, qui gratiâ Principis frui voler. Caput consiliorum, quæ dari aulico hæc possunt, omnium est, modestia erga Principem; officii se semper sui modulo, non fortunæ meriens. Nihil ut jactabundus aut irreverenter agat: invidiam quoque, quantum fieri potest, fugiat; adeò formidatam multis, etiam grandibus viris, ut nonnulli simulatâ inertia, alii literarium amplexi otium se à Republicæ negotiis alienos ostenderint: quorum alterum de Domitiano, alterum de Galbâ, historici narrant.

VI. Imprimis quoque laudationes illas malevolorum



rum, de quibus jam diximus, calumniasque incuriã  
ne tramittat.

VII. Qui calumniantur nos, vel dicent, deesse nobis  
quidpiam eorum, quæ ad benè Principi serviendum re-  
quirantur, vel, aliquid perperam, animoq; offendendi,  
dixisse, vel denique, factò læsisse alium, contendent.

VIII. Defectus, qui nobis objicitur, vel excusandus  
vel emendandus, vel denique aliis virtutibus penfan-  
dus est. Ad hæc, tam sermones, quàm actiones omnes,  
ita moderandæ sunt, ne sinistris interpretationibus ob-  
noxia fiant. Eoque aliorum animus, priusquàm retegã-  
mus nostrum, semper scrutandus. Quod si per incuriam  
aliquid exciderit, quod offendere possit, animus offen-  
dendi loquentibus nobis nullum fuisse, officio aliquo,  
vel interpretatione per alios sermones injectã, osten-  
demus.

IX. Si, delatos nos per calumniam, cognoverimus,  
consultissimum fuerit, quàm minimum recedere ab eo,  
apud quem delati fuerimus. Nam, præterquam quòd  
affectus erga absentes tempore senescit, calumnia quo-  
que, nisi veris maturè repellatur, faciliùs locum inve-  
nit: injectãque primum dubitatione, mox morã, & af-  
firmationibus delatoris, nemine contradicente, roborata,  
radices agit in animo Principis, quem eò sæpè impel-  
lit, ut oderit accusatum, priusquàm in crimen inquisi-  
verit.

X. Qui ergò rectè sibi consultum volet, amicum u-  
num pluresve comparabit sibi, qui absentem ipsum ad-  
versus calumniæ insultus tueantur; viros imprimis ho-  
noratos, & quorum defensionem non minùs quàm alio-  
rum calumniis aures pateant Principis. Fateor, talium  
amicorum in aulis sterilem admodum proventum esse,  
ubi,





ubi, premere sodalem, aut permittere, ut prematur, pene omnibus usitatum. Sed contingit tamen interdum, ut sit, qui, vel acceptis beneficiis à nobis, vel nos obligandi cupiditate, vel denique odio erga accusatorem, ad id officium impellatur.

## CAPVT XXXIV.

*Ostentatio gratiæ principalis quantoperè fugienda aulico-  
Comitatus, & modestia aulica. Clientium  
ratio, & amicorum.*

### I.

Ostentationem gratiæ principalis aulicus non tantum ideò fugiet, ut sociorum, sed ut etiam Principis invidiam evitet.

II. Quum nuper proceres Hispani regnante Philippo II. Cardinalem Spinosam subrutū irent, vide, quo eum cuniculo aggressi sint. Omnes ei submitunt suos fasces, omnes in illo cardinem fortunæ suæ volvi fingunt; Principis quoque ministri domestici se promptos ad illius nutum offerunt. Ubi hoc intellectum Regi, remotus ab aula est, & intra biennium corruit, quantumcunque erat, quod sibi potentiæ fastigium extruxerat.

III. Discat ergò aulicus, parvo satellitio contentus agere, & splendore vitæ infra dignitatis, quâ honoratus est à Principe, modum subsistat; hunc verò nunquam supergrediatur. Intempestivum est accidere comitatum vergente demum fortunâ. Nihil profuit Senecæ, perditâ Neronis gratiâ, in privatum larem, & altitudinem studiorum sese condidisse, ac valetudinis obtentu aditu, parvoque comitatu, urbem subisse.

IV. Mature se componere ad modestiam oportet.

V. Quan-



v. Quamquam autem magnam sectatorum comitum-  
ve turbam circumstrepere te nolimus, non negliges tamen,  
quam plurimos facere clientes, non qui pompae infer-  
viant tuae, sed qui casum, si quid sequius contingat tibi,  
reparent, vel solentur.

vi. Tametsi enim sinistra fortuna paucos hujusmo-  
di amicos reperit, reperit tamen plerumque aliquos,  
qui, si non amicitiae, certe commodi sui causa, quod  
ex restauratione fortunae tuae expectant, sublevare te  
satagent.

### CAPVT XXXV.

*Adversa fortuna solatia. Beneficia Principis caute dispen-  
sanda: gratia illius non nimium dividenda cum aliis. Quo  
paso pro aliis interponenda preces. Gratia non ambitio-  
se ostentanda. Principum liberrimum in agendo arbitrium.  
Mandata ipsius quae expedienda? Principi apparendi ra-  
tio. Offensus a Principe, apud nos quiritans, uti tractan-  
dus nobis: Famulicium aulicum. Sapientiae  
aulicae praecipuum officium,  
quodnam?*

#### I.

VERUM, ut magnum adversae fortunae solatium est, pro-  
speram ante cum multis communicasse, & favore  
Principis ad sublevandos alios usum esse: ita admonen-  
dus est aulicus caute, ut ista quoque beneficia dispense-  
Certum est enim, quidquid nostro rogatu contulerit  
in alium Princeps, magnam partem nobis imputatu-  
rum. Proinde gratia ejus, nisi praegrandis sit erga nos,  
non nimium dividenda est in alios: raroque admodum  
alii, qui Principi non sint quodammodo cogniti, apud  
eum commendandi. Horatii illud observandum:

M *Qua.*





*Qualem commendes, etiam atq; etiam adspice: ne mox  
Incuciant aliena tibi peccata pudorem.*

II. Id autem, quod à Principe exorare cupimus, postulatum justum sit, & tempori accommodatum, conjunctum item cum dignitate & emolumento Principis, & quod ab aliis compluribus obtentum noverimus. Si annuit Princeps, ostendemus, magni nos id beneficii loco habere: Si reuit, danda maximè opera est, ne offensos nos ille existimet.

III. Observandum quoque heic, quod etiam antè monuimus, ne ambitiosè ostentemus gratiam Principis, aut illum nostris obnoxium Imperiis venditemus, quod factitatum quibusdam malè successisse diximus. Principes, quidquid agunt, suo arbitrio, citra adminiculum vel auctoritatem aliorum, præcipuè subditorum, id agere videri cupiunt.

IV. Mandata, si quæ ardua dederit Princeps, dabimus operam, aut scripto comprehensa, & quantum fieri potest, accuratissimè concepta, habeamus. Difficultates autem, quas inter exequendum occurrere possent, autumabimus, antè quàm provinciam capiamus, eidem explicare nequaquam omittemus. Si res non apta scribi, nobisque secretò demandata sit, iterum atque iterum coràm iteranda iussa sunt, ut & mentem jubentis penitiùs intelligamus, & auctoritatem ille minùs defugere possit.

V. Ad quævis autem Principis, etiam vilissima mandata, promptos nos exhibere debemus. Sæpè res exigua magnæ fortunæ locum aperit. Et, Principes plerumque mandata sua, non gravitate rerum, sed magnitudine fortunæ suæ, volunt æstimari: adeoque non minus



nās dedignatione mandatorum exilium, quàm arduorum, offenduntur.

vi. Penes Principem quum sumus, assiduò vigilare oportet, ne subitis jussis obruamur, deprehendamur vè. Proinde semper, quantum licebit, mente antevertemus ea, quæ tractanda incumbunt, & ad singula, quæ agitantur, animum præparabimus nostrum. Ipsique nec multa apud Principem, nec nisi benè cognita, loquemur. Quum Princeps loquitur, intenti, nec aliud cogitantes, sed nec tristes aut meditabundi, apparebimus: ne vel non approbare, vel levi auditu transmittere dicta ejus videamur.

vii. Si quis, à Principe offensus, questum apud nos fortunam suam veniat, dolere nos casum ejus, testabimur, silentium patientiamque suadendo: simul tamen ad benè sperandum erigemus, elevantes injuriam ipsi factam Principemque excusantes. Sed circumspectè cum talibus agendum, Sunt enim, qui læsos se simulant, ut significationem aliquam sinistra in Principem voluntatis, è nobis eliciant, & ad opprimendos nos inveniant occasionem. Alii re verà quidè læsi sunt, sæpè tamen imprudentes, affectuq; abducti, non tacent, quæ cum illis fide secretâ communicabantur.

viii. Si ea fortuna nostra est, ut famuli alendi sint, custodire & hos oportet, ne in Principem, vel eos, qui apud hunc caritate præcipui sunt, licentiùs loquantur. Famuli culpa enim sæpenumerò in herum redundat.

ix. Inter præcipua sapientiæ aulicæ officia illud est; Sagaciter odorari posse mutatum vel tepescentem in nos Principis affectum. Ut ille amoris nodus dissolvatur potius leniter, quam vi rumpatur. Ita enim desinente

M 2 cau-

o-  
n-  
is,  
Si  
co  
n-  
rè  
is,  
od  
in-  
um  
ge-  
bi-  
i fi-  
cul-  
se  
sem  
scri-  
ite-  
ntis  
refu-  
man-  
s exi-  
plæ-  
gni-  
n mi-  
nds





causa, quæ nobis obstruxerat, patet nonnunquam reditus ad priorem gratiam. Inprimis si non meminisse injuriam, aut penitus non intellexisse videamur.

## CAPVT XXXVI.

*Judicium de principalis benevolentia ac amoris constantia & mutationibus. Felicitas inexplicabilis. Astrum aulicum.*

I.

UT aulicus de constantia principalis erga se benevolentia rectè judicare possit, non satis est Principis ingenium, suorumque tum amicorum, tum inimicorum auctoritatem ac potentiam nosse, causam inprimis pendere oportet, quæ amorem in sese Principis succenderit. Hæc enim si cesset in nobis, vel in alio reperitur validior, haud dubiè affectus in nos Principis vel refrigescet penitus, vel saltem minuet.

II. Interdum difficile est, quæ causa sit, cur ameris, divinare: & est hæc sæpè felicitas, cujus rationem reddere non possumus. Ordinariè tamen amor ille Principum oritur vel ex similitudine quâdam ingenii, vel ex gratiâ morum, vel ex præstitis officiis, vel aliâ virtute & aptitudine voluntati eorum morigerandi.

III. Amor, quem externa illa morum vel gratia vel similitudo producit, quanquam firmissimus videtur, omnium tamen citissimè exolescit: tum quoniam hominis ingenium, uti diximus, pro ætate, & negotiorum intervenientium varietate, mutatur: tum etiam, quia rarum est, duos tam similibus ingeniis inveniri, quin aliâ quâ differant: sæpè etiam, quod diversum habent, validius est ad discordiam, quàm ad concordiam id, quo inter se congruunt.

IV. Aliquos tamen astrum nescio quod inusitato quodam modo ita Principi attemperat, ut ab hujus moribus



93

ribus haud facile ullâ in re discedant. Atque hos non  
difficilior, omnium uberriman messem apud Principes  
metere posse, praesertim, sicuti servire tempori & ante  
tempestatem legere vela noverint.

## CAPVT XXXVII.

*Principum amor in foeminas. Amasia Principum. Beneficia  
in Principes collata, facile inuisa. Benemeritorum in aula  
conditio. Principum erga illos nonnullorum affectus. Prae-  
miorum constituendorum ratio in susceptione negotio-  
rum. Amor in eos, qui Principum ministrans  
voluptatibus.*

### I.

**H**OC amoris genere Principes aliquando prosequun-  
tur foeminas, idque tanto magis, quo illi proniores  
sunt in Veneris voluptates.

II. Eodem tamen & illae facile excidunt, si minus  
culpâ sua, satietate saltem amantis, vel potioris alicu-  
jus amasiae objectu. Unde quae astutiores sunt, averte-  
re Principem ab omni commercio conantur, eorum praeci-  
pue, qui Principis mentem aliò flectere videntur apti.  
Aliae per simulata fastidia amantes retinere. Aliae au-  
daciores, quos firmiter sibi devinctos cernebant, in lu-  
xuriam discinxerunt.

III. Hac arte Poppaea in Neronem usa est. Cum  
enim hunc amore accensum videret, in superbiam ver-  
tens, si ultra unam alteramque noctem atineretur, nu-  
ptam esse se distitabat, nec posse matrimonium [verba  
sunt Taciti] amittere, devinctam Othoni, etiam perge-  
nus vitæ, quod Nero haud æquaret. Quem pellice  
ancillâ & assuetudine Actes devinctum nil è contuber-  
nio servili nisi abjectum & sordidum aiebat traxisse. E-  
adem matrimonium (verba ejusdem sunt ex libro XIV.  
M 3                      annal.)



annal.) & disidium Octaviae incolumi Agrippinae  
 haud sperans, crebris criminationibus, aliquando per-  
 facias inculcare Principem solebat, & pupillum voca-  
 re, qui iussis alienis obnoxius non modo Imperii, sed  
 libertatis etiam indigeret.

IV. Quosdam Principum amicæ saepenumero fa-  
 cilius ad istum modum quàm per blandicias aut volu-  
 ptares sibi illigant. Sed nulla tali, ut diximus, amori  
 constantia inest.

V. Conveniebat quidem, amorem, quem servitiis  
 pepereris tibi, stabiliorem esse, ut qui honestissima caus-  
 sa natus, & illicere alios ad paria officio idoneus sit.

VI. Sapiusculè tamen experientia docet prægrandia  
 beneficia in aulis invisita esse: & quibus vicem non pos-  
 sint Principes, plerumque odium reponere.

VII. Nolunt hi debere cuiquam, minimè subdito.  
 Fugiunt benemeritorum de ipsis conspectum, velut in-  
 gratitudinem exprobrantium. Quæ causa est, cur isto-  
 rum sit in aulis conditio miserima. Quum enim offi-  
 cio aliquo Principem devinixerint sibi, pudore coër-  
 centur, ne illicò præmium exigant, metuentes, ne non  
 dedisse sed vendidisse beneficium videantur. Principes  
 interim, beneficiorum incuriosi, & ad compensationes  
 admodum segnes, diem ex die ducunt, donec memoria  
 beneficii in animis consciorum, quorumque tacita convi-  
 tia ante meruebantur, exolescat.

VIII. Id intelligentes quidam, ferrum, (quod ajunt,) dum  
 candet, cudendum esse, judicarunt. Nempe, quum  
 destinari se negotio alicui cognovissent, antè quàm  
 id susciperent, de præmio sibi prospexerunt: gnari, vali-  
 diorem semper apud Principes spem recipiendi officii,  
 quàm recepti præmium, esse: latius esse, obligari dor-  
 minant.



minantibus, quàm eos obligare; quòd, quem obligatum habent, benevolum sibi credunt; qui obligaverit, quia negantem præmia Principem non amare creditur, odio in vicem compensationis mulctatur. Erat hoc Ludovici XI. judicium; ut author est Cominæus.

ix. Amor Principis in voluptatum suarum ministros videtur stabilior esse debere: & est sanè, quàm diu Principis inclinationes sibi constant. Mutatis illis, ministri earum mutantur quoque. Nonnunquam etiam Princeps, subeunte honesti conscientia, vitium ejusque ministros rejicit & abominatur.

x. Sed, prout inclinationes Principum alia aliis sunt durabiliores; ita quoque gratia, quod jam dictum, operam illis ministrantium, alia atque alia erit.

### CAPVT XXXVIII.

*Voluptates Principum. Amor venereus. Socii flagitiorum. Avaritie affectus. Exactionum publicarum pretextus. Morositas exactorum notata. Opum invidia. Principis avaritia consummat a qualis? Facilitas nimia, & insolentia ministrorum, notata. Diræscendi occasio iusta non respuenda.*

#### I.

NON heic agam de voluptatibus omnibus in quas pronum est Principum ingenium: quia nec omnes aptæ ut iis superstrui aulicæ fortunæ fastigium possit. Triplex earum genus, Principibus nimis familiare, referam: amores venereos, crudelitatem, & avaritiam.

II. Amor venereus, uti cæteris affectibus vehementior ferè, ita inconstantior est. Qui etsi duret in Principe, non diu tamen amat eadem. Et, licet non mutet subiectum, saltem (ut Scholastico verbo heic utar) obiectum mutat. Nihilominus plurimi hoc velut fundamento



mento ad provehendam fortunam suam sunt usi: non veriti uxores etiam suas prostituere, dum gratiâ Principis potirentur. Quemadmodum Othonem fecisse legimus, Annal. 13. quanquam huic id non adeo venustè provenit. Removit enim illum ab aulâ Nero, ne rivalem haberet.

III. Alii, ut illigarent sibi Principem, socios se, ac testes ministrosque præbuerunt flagitiorum atque libidinum ejus. Exemplo Tigellini, de quo Annal. 14. Hi nihil pensi habent, nullam Principibus religionem esse, quo semet ab invidiâ publicâ liberent, eidem homines istiusmodi immolare. Habentque idem expectare libidinum servi, quod ille crudelitatum Cæsaris Borgiæ minister Remirus d' Orco expertus est: quem Borgia tandem interim jussit, ut omnium, quæ crudeliter ipse fecisset, reum.

IV. Atque ex eodem Remiri exemplo discere quoque fatum eorum possumus, qui operam crudelitati Principis commodant. Rarè in illos Principis affectus durat: cum, quod facinora sua in illis veluti legit subinde; tum, quia sibi quoque ab his metuit, quos tam faciles videt ad scelus.

V. Nero, quanquam ingenio crudelis & flagitiorum verus, post occisam matrem odit Anicetum, quem velut exprobrantem sibi matricidium adspiceret.

VI. Minimùm omnium avaritiæ affectus mutabilis est. Non illam diversitas objecti, ut amorem, mutat: non cum ætate minuitur, sed augetur. Et, quanquam æque, atque crudelitas exosa populo, toleratur tamen, diutius; eò quod exactioibus necessitatem publicam, parsimoniæque honestatem, ac speciem communis utilitatis prætexit. Huic ergò qui ministri inserviunt, se diutius



diutius in amicitia Principis tueri posse videntur, dum modo (Quod rarum in hujus generis hominibus) non morosi difficileve sint, nec opibus nimium studeant.

VII. Morositas, quæ plerumquæ simul contumeliosa est, odia & sibi & dominanti conciliat: quorum auctorem tandem abiciet Principis ut invidiam à sese amoliat. Opes invidiæ obnoxie sunt, non tantum multitudinis, sed & ipsius Princeps, quandoque. Qui si verè avarus est, raro contentus erit spongiam plenam expressisse; quod Vespasianum facere solitum legimus; sed rusticos imitabitur, qui porcos tandem quos saginavit devorant.

VIII. Gallia certè nostra plurimos tales, qui asperi supra modum, aut ditescere nimis properi, quum insolentius egissent, post summam fortunam perniciem tandem incurrisse vidit.

IX. Philippo Bello regnante, Petrus Berchius, sacri cubiculi & ararii præfectus, strangulatus est Parisiis. Ludovico, Philippi filio, postea regnum adeptus, Enguerrandus Maringnius incidit in similem fortunam: Sub Carolo VII. Gyacensis, Berchio dignitate par, in jus vocatus, posteaquè culeo infusus, submersusque est. Ejus successor Camus Beaulius occisus est Pictavii. Idemque fatum sub Philippo I. Petrum Essartum manebat, nisi centies mille florenis vitam redemisset.

X. Poteram plures nominare: sed memoriæ illorum parco. Interim adducta exempla satis docent, hujusmodi ministrorum facilitatem nimiam detrimentum utilitati Principis, eorum insolentiam verò illis ipsis odium exitiumque attrahere; fugiendas item opes nimias, quæ invidiam concitare queant, ut ut fas sit justam occasionem ditescendi non respuere.

N CAP.





— 080 — 080 —

## CAPVT XXXIX.

*Aptitudo aulici ad expedienda negotia, amoris principalis ultima causa. In eâ, qua sapientia gloriaque ratio habenda, Aulice potentie infirmitas. Consilium, pro iis, qui in alto agunt, precipuum. Felicitas, quidnam? Vitæ sedata, ac votorum, compendium.*

I.

**EX** causis, ob quas amantur à Principe aulici, restat ultima; quam Aptitudinem esse diximus ad negotia Principis expedienda. Quam Principi gratam quum animadvertimus, videndum est porro, an grata sit ideò, quia sit necessaria, an quia Principem desiderium ejusdem aptitudinis incessat. Si grata, quia necessaria; durabit quidem amor quam diu necessitas durat; attamen coactus potius, quàm voluntarius amor erit.

II. Si Princeps ad ejusdem aptitudinis gloriam aspirat; non dubitandum est, quin, qui hac ipsum superaverint, graves illi sint futuri: insito non Principibus tantum, sed cunctis hominibus excellendi alios in arte, cui se addixerint, desiderio. Certè à famulo suo nemo in talibus se æquo animo patitur superari.

III. Asinius Pollio adhortantibus, ut reponeret aliquid versibus Augusti in ipsam scriptis, nolle se ejus, qui possit proscribere, scribendo incurrere invidiam, respondit.

IV. Ortâ contentione aliquando inter Favorinum Philosophum & Adrianum Imperatorem de voce aliqua quum ille herbam Imperatori daret; idque mirarentur, Amici, non erubescio, inquit, vinci scientiâ ab illo, qui triginta legionibus imperat.

v. No.



~~0350~~ 0330

V. Notum est Sapientia praeceptum: *CORAM RE-  
GE NOLI VIDERI SAPIENS.* Fieri aliter non potest, o-  
portet hic, si gratia Principis litare cupimus, derelictum  
habere studium gloriae. Neque tantum, quum de ver-  
bis agitur, sed in re quavis, palmam illi concedere de-  
bemus: coque non abs re fuerit, errorem non multum  
ablaturum, vel dedita opera committere.

VI. Ex his, quae hactenus disseruimus, patet, quam  
parum firmitatis omne genus aulicae potentiae habeat,  
Consiliorum ergo, quae in alto agentibus dari possunt,  
praecipuum hoc est; ad descensum uti se praeparent.  
Licet autem generosius iudicatur, pugnare, cum in hanc  
arenam processeris, quam fugere: si tamen majore pe-  
riculo quam praemio sit pugnandum, non in honestum  
quoque fuerit, mature receptum dispicere, Parthos-  
que imitari, qui fugiendo pugnant.

VII. Gloriosius est etiam, descendere lente, & velut  
per gradus, atque etiam porta retrogredi, quam ejici per  
fenestram. Sic, praetextu qualito, minus turpe est, ho-  
noribus sponte valedicere, quam expectare, donec de-  
pellaris. Potest huc transferri Romani cujusdam antiqui  
dictum: *QUID FATIGAE FELICITATI MOLESTUS ES?  
QUID EXPECTAS? DONEC CASTRIS EJICIAS?*

VIII. Felicitas est, ut inquit Seneca, in ipsa felicitate  
mori. Ego e contrario felicem aulicum existimo, qui  
in medio felicitatis cursu receptui canit. Forsan, qui hoc  
fecerit, non omnium a qua iudicia experietur, videbitur-  
que indignus fortuna, cui nuntium tam cito remittat.  
At, qui prudens est, sermones hujusmodi nil moratus,  
potius saluti consulet suae. Meminerit, ex omni gene-  
re lusuuna a fortuna pendentium praestare lucratum, a  
quam

N 2







quam damno affectum discedere; nec sapientis esse, incertis certa commutare.

ix. Ad alta illa dignitatem plerumque ascendit iter per gradus: ex summo descensuris præceptum ut plurimum ceteris abhærerit vestigium, ut solet in excello viventibus facile contingere, non descendunt jam, sed ruunt.

x. Habes amice, quæ mihi desiderio tuo satis facere laboranti in mentem venerunt. An utilia tibi futura sint, tu videris. Mihi quidem jam istorum usus nullus est. Meæ vitæ ac votorum compendium hoc accipe. Seneca versus:

*Seræ, quicumque volet, potens,*

*Aula culmine lubrico.*

*Me dulcis saturaret quies.*

*Obscuro positus loco*

*Leni perfruar orio.*

*Nullis nota Quiritibus*

*Ætas per tacitum suat.*

*Sic, quum transferint mei*

*Nulla cum strepitu dies,*

*Plebejus moriar senex.*

*Illi mors gravis incubatur,*

*Qui, notus nimis omnibus,*

*Ignotus moritur sibi.*





Jena, Diss., 1667




f

sb.

V 517











4.

1661, 13  
29.  
15

V.  
TIO  
TORICA  
ICO,

RISTOPHO.  
ESEOS OR-  
LIUM EXTRA-  
FESSORE  
O,

*proponit*  
US à MEUS-  
ARISCUS,

r.  
afvetis.

oi Bauhöfferi,  
XI,

95

